

~~S. V. 26.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

103.99

SIGNAT. c1010CCCXIII.





EXIMII SĀ

CTISSIMI QVE SACRA
rū literarū doctoris Hierony
mi Stridonēsis uita, ex ipsi
us potissimū literis conte
xta. per. D. ERAS.
Roterodamum.



MOGVNTIAE ANNO
M.D.XXI.



DIVI EVSEBII HIERONYMI VI
TA PER D. ERASMV
ROTTERODAMVM.



QVIDEM HAUD
sum nescius, ueterum per
multos in hac fuisse senten-
tia, ut pium & officiosum
esse ducerent, incommo-
dum publicum, apte cons-
fictis narratiōibus abuti,
nempe uel ad uitam recte pieq̃ instituēdā,
uel ad erigendos & inflammandos ad ho-
nesti studium cessantiū animos, uel ad ful-
ciendam quorundam imbecillitatem, uel
ad territandos impios, quos neq̃ ratio cor-
rigit, neq̃ mouet charitas, uel ad illustran-
dam miraculis sanctorum hominum glo-
riā. Atque hoc fuci genus, nec Platoni di-
splicuit, nec Origeni, ne chorū dogma se-
cutis. Certe obiicit hoc Hieronymus Ruffi-
no, atq̃ hic uicissim in Hieronymum rege-
rit, malens alterum eodem conspurcare lu-
to, q̃ in se cōiectum lutum abstergere. Est
quidē mira quædam uulgi credulitas, imò
nescio quid penitus insitum animis morta-
ium

HIERONYMI VITA

lium, ut ficti libentius audiant quæ gesta, & commentiti, supraque ueri fidem fabulis, libentius assentiantur quæ ueris, adeo ut olim uiri prudentes quicquid uehementer commendatum esse uellent multitudini, id fabulosis miraculis celebrarent, uelut numinum religionem, origines urbium aut gentium, exordia nobilium familiarum, exempla clarissimorum principum. Hoc igitur imperitorum affectu, ad ipsorum abuti commodum, permittebant illi, sed non nisi sapienti uiro, propterea quod huius rei fructus omnis pereat, si semel suboleat artificium mentiendi. Verum hac quidem in parte haud grauatim in Augustini sententiam pedibus eo, non solum obeam causam, quam ille sane grauem adducit, ne si semel in Christianorum literis suborta fuerit mendacii suspicio, fiat ut ne his habeatur fides, quorum auctoritatem modis omnibus indubitata & in couulsam esse oportet, sed multo magis, quod meo iudicio ne possit quod uir pius ac sapiens esse, quod tam male sentiat, tum de sanctis uiris, tum de lectoribus. De sanctis quod est quod aut usque adeo iuuarit propria domesticaque

A ij laudis

DIVI EVSEBII

sticæq; laudis inopes, ut alienis mendacijs
 putarint illustrandos, aut adeo ^{κενοδοξος}
 stultæq; gloriosos, ut AEsopicæ corniculæ
 ritu, uelut in proscenio gaudeant ostenta-
 ri, ficticijs laudibus ceu plumis alienis ad-
 ornati. De lectoribus autem, quos omnes
 aut ita stupidos ac muccosis naribus arbi-
 trati sint, ut cum ueritas semper habeat suã
 faciem, nullis imitabilem fucis, non queãt
 excogitatã artificio fabulam à uero dignos-
 scere, aut certe adeo gratis etiam nequã &
 peruersos, ut scientes ac uolentes faueãt ua-
 nitati. Quod si uitari nõ potest, quo minus
 istiusmodi fabulamenta misceãtur nostris
 uoluminibus, certe quod proximũ est, opo-
 tarim. Quid istud inquires? Nimirũ plañtẽ
 eximium ac prudentem, catumq; mentien-
 di artificem. Quandoquidem iuxta Socra-
 tis sententiam, nemo sit ad mentiẽdum ac-
 comodatior, quã qui ad uera dicẽdum est
 appositissimus, quod eiusdẽ artificis para-
 teis esse ducat, certissime ueridicum esse, &
 nihil omnino ueri dicere. Hoc quidem cõ-
 silio, suam historiam cõtexit Herodotus.
 Hac ratione Xenophon Cyri descripsit in-
 stitutionẽ

HIERONYMI VITA.

stitutionem, non ad historiae fidem, sed ad exemplum probi principis. Nec alio spectasse uidetur Homerus ille, quem iure fabularum oceanum possis dicere. Verum hi quemadmodum ingenij quidem & eloquentiae laudem fingendo promeriti sunt, ita dum malum uirtutis exemplar effingunt ac proponunt, non mediocriter offecerunt uitae mortaliu. Siquidem Herodotus stultos plerisque facit principes. Xenophon, uas frum quae praeiam & ἀγκυλομήτιν expressit, potius quam uere prudentem ac salutarem principem. Homerus eiusmodi facit deos, cuiusmodi nolit magistratus, bene morata ciuitas. Deinde tales depinxit uxores deorum qualis nemo probus ciuis, coniugem aut optet domi suae, aut ferat. Denique tales finxit deorum filios, ut nemo sanus paterfamilias, similes sibi liberos uelit obtingere, ut non abs re Plato locum ille negarit in sua republica. Neque uel tantillum erat causae, cur Alexander ille magnus inuideret Achilli, talis laudem praecone, si penitus intellexisset, quid sit uere magnu ac salutare agere principem. Ego nihil arbitror esse rectius, quam eiusmodi de-

A iij scribere

DIVI EVSEBII.

scribere sanctos, cuiusmodi fuerunt ipsi, in quorum uita si quid etiam errati deprehēditur, hoc ipsum nobis uertit in exemplū pietatis. Caterum si quis omnino figmentis delectetur, is si prudenter effingat p̄ij uiri simulacrum, quocunq; nomine, non fac co, cilicio, flagris, prodigiosis ieiunijs, uigilijs non credendis, sed ex ipsis Christi decretis, sic ut primū Christianæ pietatis uim penitus habeat cognitam ac perspectam, deinde scite illius exprimat imaginem, is mihi fortasse tolerabitur. Etiam si quātumuis gemmæ nitorem ac lucem effingat artifex, certe natiuam gemmæ uim nunquam assequitur imitatio. Habet suam ἐνέργειαν ueritas, quam nullum æquat artificiū. Ac istos quis ferat, qui plusquam anilibus deliramētis, infantibus, indoctis, ineptis, diuos nobis non celebrant, sed cōtaminant. At diuus Hieronymus, nisi quod abunde iuxta Græcorum prouerbiorum, αὐτός ἐστὶν τὸν ἡυλῆσεν, hac parte parum erat felix, propterea quod unus præcipue dignus esset, ut pari doctrina pariq; faciūdia, posteris cōmendaretur, qui tam erudito tamq; mellis
to ore

HIERONYMI VITA

to ore Christi sanctorumq; præconia ceci-
 nisset, haud scio quonā fato, in rabulā quē-
 dā incidit, sic undiq; sui similē, & Hierony-
 mi dissimilem, ut nescias quid in eo potissi-
 mum admireris, linguæ ne prodigiosam
 infantiam ac balbutiem, an insignē litera-
 rum inscitiam, an miram mentiendi impu-
 dētiam. Hominem profecto dignum, quē
 si uiuat, publicitus omnes omnium morta-
 lium manus saxis obruāt, qui mortales uni-
 uersos pro saxis, nō pro hominibus habue-
 rit. Qui enim illius legēs nānias, ni plane
 truncus sit, non protinus sentiat persona-
 tum histrionem, qui Vertumnum quēdā
 aut Proteum nobis referens, nunc Eusebi-
 us est Cremonesis, nunc Cyrillus, nūc Au-
 gustinus, nunc Ambrosius, nonnunq; si li-
 beat Damasus, aliq̄ties ipse, si superis pla-
 cet, Hieronymus. Sed quibuscūq; plumis,
 nobis opertus prodit, uox ubiq; sui simi-
 lem coccyem arguit. Idem ubiq; dicendi
 lepos, eadē sermonis uenus. Cuius stupo-
 rem, ut nihil accedat, hinc certe palam cer-
 nere est, quod Hieronymū paulo ante mor-
 tem, facit Damaso commendantē suos cō-

A iiij mētarios

DIVI EVSEBII

mētarios, quem ipse Hieronymus nō uno
 in loco testat ante se decessisse uita. Sed hic
 de quo plura dicentur alias, tam indoctus
 & elinguis, ut rebus quamlibet claris, in-
 genij sui culpa tenebras possit offundere,
 tā stupidus, ut ne uerissima quidē uerissimi-
 liter queat efferre, ridicula miraculorū por-
 tenta, & impudētissimæ uanitatis fabulas
 cōfert in Hieronymū, nec has tamen ab se
 repertas, in quo nonnulla laus fuisset inge-
 nij, sed ē uulgatissimis historijs, huc nō mi-
 nus ridicule, q̄ improbe detortas. O fortun-
 natum tam insigni præcone Hieronymū.
 Neq̄ uero defuit dignum patellæ opercu-
 lū. Repperit hic scriptor suos lectores, rep-
 perit à quibus citetur, & quo magis mire-
 ris, eruditos Platinā & Volaterranū, quos
 quidem uel hinc suspicor ea nunq̄ legisse,
 sed aut audisse in cōcionibus, aut excerpta
 uidisse. Imitati sunt impudentissimum scri-
 ptorem, unus & item alter, sed a deo præcla-
 re, ut eiusdem hominis uideri possunt om-
 nia, In quibus nihil agnoscas, nec eruditio-
 nis, nec eloquentiæ, nec prudentiæ, nec di-
 ligentiæ, super hæc omnia nihil minus, q̄
 id quod

HIERONYMI VITA

id quod, in primis exigitur in historiogra-
 pho, nempe fidem. Vtrum quæso istud est,
 diuorum uitas describere, an contaminare
 potius? Nos igitur, licet impares argumē-
 to, tum nullis adiuti commētarijs, quibus
 fidi poterat, tamē bona fide, quæq; licuit di-
 ligentia, uitam sanctissimi uiri, ex Prospe-
 ro, Seuero, Orosio, Ruffino, tametsi calū-
 niatore, & si qui sunt alij non omnino cons-
 tēndæ fidei auctores collegimus, sed po-
 tissimum ex ipsius Hieronymi libris, Hie-
 ronymum euestigauimus. Quis enim re-
 ctius nouerit Hieronymum, q̄ ipse Hiero-
 nymus? Aut quis eū fidelius expresserit?
 Si rerum à se gestarum certissimus auctor
 est Iulius Cæsar, quanto iustius est Hiero-
 nymo, sua narrati fidem habere? Ex huius
 igitur libris omnibus lustratis quod spar-
 sim annotare licuit, in narratiōis ordinem
 redegimus, nihil admentientes, quod arbi-
 tremur abunde magnum esse miraculum,
 ipsum Hieronymum tot egregijs uolumi-
 num monumentis sese nobis exprimentē.
 Quod si cui nihil absq; miraculorū porten-
 tis placere potest, is legat Hieronymianos

A v libros

DIVI EVSEBII

libros, in quibus tot pene miracula sunt, quot sententiæ.

Natus est igitur uir eximius Hieronymus, anno ab orbis redēpto. CCC. XXXI. sub imperatore Constantino, oppido Stridonis, quod iam tū à Gotthis omnia populantibus euersum fuisse, testis est ipse in catalogo scriptorum illustrium, olim Dalmatiæ Pannoniæq; confinium, Id hodie nonnulli quorum de numero Blondus est, idē esse uolunt cū eo, quod hac tempestate uulgus Sdrignam appellat, oppidulum in Histria Italiæ regione situm inter Petram pilosam, Portulam & Primontem ut horū utamur uocabulis. Addūt in huius rei fidem, ibidem ostendi monumentum Eusebii patris, cū epitaphio laminis insculpto, nimirū id agētes, ut Hieronymū Italiæ suæ uindicerent. Mihi studium & affectus istiusmodi parum dignus uideēt grauius uiris, imò in totum Christianis. Qui in libris Hieronymianis erit diligentissime uersatus, qui uitam Hieronymianā proxime exprimet, is sibi iure uindictet Hieronymum, etiam si porro ultra Britānos natus fuerit. Erat illi
frater.

HIEROTYMI VITA

frater natus minor, nomine Paulinianus, nam sororis nomen tacuit. Matertera Castorina, cum qua dissidij nescio quid intercesserat, ob rem (ni fallor) familiarem, quam tamen humanissimis literis ad concordiam inuitat. Patri nomen fuisse Eusebio, declarat ipse, quod graecis a pietate dictum est, non absque praefagio, quod pulchre conveniat, ut ex pio nascatur ille sacri nominis heros. Nam id sonat ἱερώνυμος, Atque ea demum est digna christiano nominis gloria, quae non ex stemmatis aut imaginibus, non ex opibus enervis aut concisis copiis, sed ex vita pie sanctaeque acta nascitur. Caeterum nihil addit plebeius ne fuerit an patricius, tenuis an locuples, priuatus an magistratus, cum hoc quidam affingant, illum nobilissimis ortum parentibus, sed ut eadem opera potuerint, illum urbis praefectum facere. Consentaneum est autem, ante dirutam patriam, mediocri loco fortunaeque fuisse. Matris nomen nusquam edidit, non tacens tamen se parente utroque christiano genitum. Ab his domi diligenter institutus, una cum Bonoso inter ipsos statim parentum amplexus, & nutritum.

DIVI EVSEBII.

nutricum blanditias, Christum imbibit, ac
mox christianaë pietatis rudimentis imbus-
tus, simulq; bonis literis, quarum ea tunc ætas
capax esse poterat, puer adhuc Romam mis-
sus est, uelut ad primariam eo sæculo, tum
religionis, tum eruditionis magistrã. Quam
uis enim illis temporibus & apud Gallos,
Hispanos & Afros florent literarum stu-
dia, tamen in Prouincijs pro gentis inge-
nio, non nihil degenerantes, Romæ uelut
in suo fonte puriores adhuc erant & incor-
ruptiores. Atq; hoc nomine Rustici mo-
nachi matrẽ collaudat ipse, quod post Gal-
liarum licet florentissima studia, filiũ Ro-
mam miseris, quo Gallicanaë dictionis ni-
torem ac luxum, Romana gra uitas tempe-
raret. Intellexisse uidetur prudentissimi pa-
rẽtes, plurimum referre, inter quos primum
& à quibus instituaris. Quæ sunt optima,
nuncq; discuntur foelicius, q̃ rudibus illis
annis, & non minus tenacibus, quicquid
in sculpsis, q̃ in omnem sequacibus habi-
tum. Itaq; perinde quasi iam tum intelligen-
tẽt sese puerum eum orbi coiter genuisse,
non sibi, ita publicis utilitatibus, non suis
privatis

HIERONYMI VITA.

priuatis affectibus educandum curarunt. Græcas ac latinās literas, ab ip̄is statim incu-
nabulis didicit, quemadmodum ip̄se testa-
tur, & hoc didicit feliciter & maturius. Sen-
tias enim nescio quid duriusculum & suba-
cerbum in his qui serius se contulerūt ad
discēdas literas. Proinde nō abs re sibi gra-
tulatur Hieronymus, quod à puero inter
grāmaticos, & rhetores fuerit detritus, quo-
rum alteri docuerunt emendate pureq̄ lo-
qui, alteri, splendide, grauitē, & sapiēter.
Horum institutioni debemus incompara-
bilem ecclesiæ doctorem, non loquatium
sophistarum scholis. Quis non iam nūc in
summam erectus spem, nouū quiddam de
hoc præfagiat puero? Primum reputans ta-
lem parētum animum, deinde felicissimā
indolem, ingenium foecūdum ac facile, pes-
ctus ardēs & infatigabile. Præterea Romā
educatricem, id temporis, aliquanto q̄ nūc
incorruptiorem. Deniq̄ præceptores exi-
mios, Donatum in grammaticis, Victori-
num in rhetoricis. Etiam si uideo quosdā
ambigere, num hic fuerit Donatus ille, cu-
ius extant in Terentium ac Maronem erudi-
tissimi

DIVI EVSEBII

ditissimi commentarij. Tum an Victorino præceptore sit usus, non satis liquet ex Hieronymi uerbis, quibus utriusq; meminit in annalibus Eusebianis, hunc in modum. Victorinus rhetor & Donatus grammaticus, præceptor meus, Romæ insignes habentur, è quibus Victorinus etiam statuam in foro Traiani meruit, Hactenus Hieronymus, magis exprimens alterum, nempe Donatum sibi præceptorem fuisse quàm utrumque, dicitur alioqui præceptores mei. Ad eandem coniecturam facit quod idem nec in catalogo scriptorum illustrium, nec usq; alibi quantum commemorari, Victorini faciens mentionem, præceptorem appellet. Quin totam Victorini dictionem, parum approbasse uidetur Hieronymus, id quod haud quaquàm obscure declarat in epistola quam scripsit ad Paulinum monachum, cum ait, Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest. Et rursus in catalogo scriptorum illustrium. Victorinus (inquit) natione Afer. Romæ sub Constantio principe rhetoricam docuit, & in extrema senectute, Christi se tradens fidei, scripsit

HIERONYMI VITA.

psit aduersus Arrium libros more dialectico, ualde obscuros, qui & ab eruditissimis non intelliguntur. Verum de Victorino quidem lectoris facio iudicium. Cæterum ipse de Donato dubitationem omnem ademit in Apologia priore aduersus Ruffinum, hisce uerbis, Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium & Salustium commentarios, Vulcatij in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius, & in Terentij comedias, præceptoris mei Donati, æque in Vergiliū, & aliorum in alios. Sub huiusmodi præceptoribus, iam adultior in bonis literis, nullum doctrinæ genus intactum reliquit. Porphirij *ἑταρωγῶν*, Aristotelicam, Platonica, Stoicam, ac cæterorum omnium philosophiam attigit. Verum hæc delibauit, non his semel addixit, nec in his uelut ad scopulos Syreneos cõsenuit, quibus hodie plerique immorimur. In Rhetorica tamen sese studiosius exercuit, degustatis omnibus, sed his præcipue quæ propius ad eam conferant facultatem, historia, cosmographia, & antiquitatis notitia, partim quod intelligeret apud Latinos ad id usque temporis pene infantem esse theos

DIVI EVSEBII

theologiam, & ob hanc causam permultos
 à diuinorum uoluminū abhorrere lectio-
 ne, sperans futurum, ut plures sacris literis
 delectarentur, si quis theologiæ maiestatem,
 dignitate sermonis æquasset, partim ut esset
 aliquando quod ethnicis obijci posset, Chri-
 stianos ut infantes & elingues despicientis
 bus. Testatur id multis in locis, & si non te-
 staretur, libri clamitant, illum in declarato-
 ria palæstra diligentissime uersatum fuisse,
 puerum in fictis controuersijs, & obliquis
 rhetorum strophis lusisse. Studiorum soda-
 les inter cæteros, hos præcipuos habuit, Pã-
 machium summo nato loco, postea Pau-
 læ generum, Paulinæ maritum, qui defun-
 cta uxore, monachi sumpsit institutum, tã-
 dem ad Episcopi munus ascitus. Bonosum
 & hunc summo genere, postea monachū.
 Heliodorum, quē deinde sua uirtus ad Epi-
 scopi functionem pertraxit. Hic interim ap-
 paret Hieronymum Christo renatum, in
 illius iurasse uerba, ut hoc certe nomine Ro-
 ma, iure sibi posset hūc uirum asserere, quā-
 quidem à baptismo denique censemur Chri-
 stiani. Id satis indicat in epistola quadā ad
 Damasum

HIERONYMI VITA

Damasum papam, testificans sese eius ur-
bis fidem uelle sequi, in qua Christi uestē
accepisset. Nec enim de presbyterio sentit
opinor, sed in baptismo uestis candida da-
batur, solum innocentiae, & lotis mā-
dabatur, ut candorem uestium suarum illi
batam seruarēt, Igitur in profanis literis,
quas quidam saeculares uocāt, ad plenum
eruditus, ad grauiora studia iam adiiciens
animum, hac etiam parte laudatissimos ui-
ros estimatus, uelut Pythagoram, Plato-
nem, Appollonium, ut lustrandis regioni-
bus sapientiae suppellectilem redderet au-
ctiorē, Gallias omnes sic undiq; lustrauit,
ut nonnullis locis habitasse uideatur, adeo
& locorū situm ac nomina tenet, & multo-
rum sibi cōciliauit amicitiam. Et in episto-
la quadam ad Florētium, testatur se Treui-
ris, ingens Hilarij uolumē de synodis, sua-
pte manu descripsisse, quod aliquāto post,
iubet sibi remitti, iam in eremo quae Syriā
à Saracenis dirimit agens. Atq; huius pere-
grinationis comitem habuit Bonosum, ut
alicubi declarat ipse. Ad hunc itaq; modū,
studiose lustratis bibliothecis omnibus, &

B cōgressus

DIVI EVSEBII

congressus cum his, quos uel eruditio, uel
 integritas morum reddiderat insignes, &
 undiquaque non nihil decerpens, quod ad Chri-
 stianum institutum facere uidebatur, tan-
 dem uelut industrius & auidus negociator,
 non auro ditior, sed usu rerum, literis, ac
 pietatis ardore locupletior, utranque reuisit
 patriam, & eam in qua natus fuerat, & eam
 in qua renatus. Sub hac coepit de deligen-
 do uitae genere, deque loco commodo cogi-
 tare, quod haud nesciret hinc praecipuam
 hominis pendere felicitatem, si institutum
 ingenio accommodum, iudicio, non casu
 sumeret, sunt enim qui se praecipites dat in
 uitae rationem, priusquam sibi noti sint ipsi.
 Et sunt e diuerso, quos cunctantes ac deli-
 berantes, mors occupat. Reputabat animo,
 Romam adhuc ueterem sapere paganismum, &
 iter eius Urbis delicias parum esse tutam adole-
 scentiam, ut quam alicubi Babylonem appellet, de-
 inde suam quoque patriam Barbaricis uolupta-
 tibus esse corruptam, quod ipse non dissi-
 mulans in epistola quadam, In mea (inquit)
 patria rusticitatis uernacula, deus uenter
 est, & in diem uiuitur, & factior est ille, qui
 ditior est. Proinde communicato cum sonda-

HIERONYMI VITA

libus cōsilio, de secessu cogitauit, quo liberius & expeditius, se totum sacris studijs & Christo dedicaret. Iam tum piū adolescentis animum offendebat mundus, qui ea tēpestate Christianos, ethnicis habebat admixtos. Vnde fieri necessū erat, ut q̄ Christum profitebantur, pleriq; titulo magis q̄ uita essent Christiani, & uere probis mētibus, pie uiuendi uorum adesset uerius q̄ facultas. In matrimonio, ut nihil aliud accideret, certe libertatis naufragiū perspicebat. Ad hęc Clericorū & Episcoporū statū, qđ hos q̄q; uolētes nolentes, honos, opes, & negotia mūdi inuoluerēt ac transuersos raperēt grauissimis periculis obnoxiiū esse. Et multorū uita displicebat, iam prisca illa pietate sacerdotum ad tyrannidem ac fastū degenerante. Pensitatis igitur omnibus ac circumspectis, monachi placuit institutū, quod ne quis in hoc erret, id temporis longi diuersū erat, ab hoc quod hodie uidemus, cerimonijs obstrictum, imò quibus maxime libertas erat cordi. hi monachi p̄fessionem suscipiebant. Primum enim res manebat integra, manebat commigrandi re-

B ij migrādiq;

DIVI EVSEBII

migrandiꝫ quo uellent potestas, manebat
 dulcissimum ac liberrimum ocium, ad stu-
 dium, ieiunia, psalmos, uigilias, aut suo pte
 incitabatur animo, aut exemplis inuitaba-
 tur, non cogebantur hominum constitui
 unculis. Vestitus erat simplex, nec is tamē
 præscriptus, sed suo cuiꝫ arbitrio sūptus.
 non qui prodigiosa nouitate faceret insi-
 gnem, & digito notandum, sed qui simpli-
 citatem Christianam præ se ferret. Votorū
 nulla uincula. Deniqꝫ si quem forte sui insti-
 tuti pœnitentia cœpisset, tota demum pœ-
 na erat, inconstantia nota. Cuius rei si quis
 fidem requirat, legat Hilarionis uitam, le-
 gat institutionem monachi ad Rusticum,
 & item ad Paulinum, legat in epistola cu-
 ius initium, Audi filia, descriptum triplex
 apud Aegyptios monachorū genus. Quin
 inter alia præstabat & hæc commoda, illud
 uitæ genus. Huius prætextu honestius lice-
 bat ab affinium & cognatorum uinculis
 temet excutere, graui nimirū onere, ei cui
 nihil dulcius ocio studiorum, à publicis fū-
 ctioibus, à munijs & officijs imperialis au-
 læ, prorsus habebatur excusati. Postremo
 minus

HIERONYMI VITA.

minus patebant Episcoporum quorundā iam tum insolescentium tyrannidi. Iā hic titulus nec à functione clericatus quicq̃ remorabatur, & ex nullo ordine sepius deligebatur episcopi. Nec aliud quicq̃ erat tūc monachi professio, q̃ priscae liberaeq̃ uitae meditatio, ac pure Christianae. Hæc obiter admonenda duxi, ne qui mos est plarisq̃, Hieronymum sui instituti faciant auctorem, ad quos ille nihil attinet. Conatus est ad eandem uitae rationem capessendā sodales aliquot pellicere. Verū Pammachius in studiorum contubernio semper unanimis, in uitae genere deligēdo plurimum dissentiebat. Hieronymo placuit summa libertas, Pammachius coniugij uinculis innecti maluit. Bonosus compositis rebus, relicta patria, parentibus & amicis, solis libris comitatus, in desertam insulam & undiq̃ circumfremantibus undis horridā secessit, ac praeuolauit quidem Hieronymū, & prior mundi laqueis extricatus, in libertatē se recepit Christi, sed ab Hieronymo primum inflammatus. De quo cum alias meminisset, tū in epistola, cuius initiū, Plus
B iij denm.

DIVI EVSEBII.

deum. Bonofus inquit tuus, imò meus,
 & ut uerius dicam, nofter, scalam præfaga
 tam somniãte Iacob, iam scãdit. Portat cru
 cem suam, nec de crastino cogitat, nec post
 tergũ respicit. Seminat in lachrymis, ut in
 gaudio metat, & sacramento Mosi serpen
 tem in eremo suspendit. Cedant huic ueri
 tati, tam Græco q̃ Romano stilo mēdacijs
 ficta miracula. Ecce puer honestus, sæculi
 nobiscum artibus institutus, cui opes affa
 tim, dignitas adprime inter æquales erat,
 contempta matre & sororibus, & charissi
 mo sibi germano, infulam pelago circum
 sonante naufragam, cuius asperæ cautes,
 & nuda saxa, & solitudo terrori est, quasi
 nouus quidã paradisi colonus infedit. Nul
 lus ibi agricolarũ, nullus monachorum, ne
 paruulus quidẽ quẽ nosti Onesimus, quo
 uelut fratre in osculo fruebat, in tanta uasti
 tate adhæret lateri comes. Et aliquãto post,
 Vt ego & ille pariter à tenera infãtia, ad flo
 rētem usq̃ adoleuerimus ætatem, ut ñdem
 nos nutricum sinus, ñdẽ amplexus fouerit
 baiulorũ, & dũ post Romana studia adirẽ
 semibarbaras ripas, eodẽ cibo, pari frueres
 mur

HIERONYMI VITA

mur hospitio, ut ego primus cœperim uel
le te collere. Memēto quæso hūc bellatorē
tuū, mecum quōdam fuisse tyronem. Et ha-
ctenus quidem Hieronymi uerba recēsi-
mus, qui & in alia item epistola, Bonosum
laudibus uehit, suam solitudinē, cum illius
uita conferens. At non multo post Bonosi
secessū, ordinatis domi rebus, conflato uia-
tico, cū primis autē locupletissima biblio-
theca, summo studio comparata, Syriam
adiit, Heliodoro, tum itineris comite, tum
propositi consorte. Quem aliquandiu cū
eo commoratum in Syria, quibus de cau-
sis incertū, cœpit eius uitæ pœnitudo, nō
quod damnaret, sed quod pro uarietate
ingeniorum, alijs alia magis cōgruūt. Nec
magni refert, quo tramite curras, modo ad
Christum properes. Heliodorus itaq; mu-
tato consilio, reuersus est ad suos, ad quem
paulopost elegantissimam illam scripsit e-
pistolam de laudibus & commodis uitæ
solitariae, mira ubiq; ciuilitate, suspitionē
inconstantiae depellens ab amico, & suis
imputēs cōmissis, qd' ille discessisset, ut obi-
ter & hoc laudis annotem in Hieronymo,

B iij̄ quē

DIVI EVSEBII

quem quidam e suis moribus aestimantes, tetricum quempiam & incivilem fuisse somniant, cum eo nihil unquam fuerit, nec huanus, nec urbanus. Sic enim scribit ad Iulianum diaconum, Sanctus frater Heliodorus hic adfuit, qui cum mecum uellet incolere, meis sceleribus fugatus abscessit. Et p[er] modum colligerelicet, illos primū una uisisse Hierosolymam, & lustratis sacris locis, redemptoris adorasse uestigia. Erat autē id temporis, urbis Hierosolymitanæ tanta apud omnes religio, ut parum pius sibi uideretur, qui Hierosolymis nō fuisset. Deinde destitutus sodali charissimo, cum & morbis ob cœli uitæq[ue] nouitatem contractis, & peregrinationis molestia grauius affligeretur, monachorum quorundam humanitate refocillatus est præsertim Euaagrii, cuius etiam hospitio aliquamdiu est usus. Restitutus pristinae ualetudini, toto pectoris ardore ad susceptam Christi militiam accinctus procul in horridam solitudinem abdidit sese, quæ inter Syros & Agarenos, nunc corrupto uocabulo, Saracenos dictos, uastum limitem ducit, in qua præter feras & serpentes & sparsim habitantium mo-

HIERONYMI VITA

nachorum greges, nullus incolebat. Quan-
 t̄ huc quoq̄ semotum, crebro solitus est in-
 uisere Euagrius. Inter hæc Ruffinus, qui
 post ex intimo sodali, factus est hostis acer-
 rimus, monachus & ipse, Nitriam AEgy-
 pti sese contulerat, cuius aduentum gratu-
 latur in ea quam modo citauimus episto-
 la. Eam hac finit clausula. Obsecro te, ne a-
 micum qui diu quæritur, & uix inuenitur,
 difficile seruetur, pariter cum oculis mens
 amittat. Et paulo inferius. Amicitia quæ de-
 sinere potuit, nunquam uera fuit, ceu iã tũ
 prælagiēs futurum, ut ab amicitia decisce-
 ret Ruffinus, Sub idem ferme temporis.
 Hieronymi soror, uirginis institutum ar-
 ripuit, instigãte Iuliano quodam, sed mul-
 tum & hoc dissimile, ab harum conditiõe,
 quas hodie ferreis cancellis, ceu feras indo-
 mitas inclusas tenent. Non quod damnem
 publicam seculi consuetudinem, sed quod
 doleam huc deniq̄ delapsam Christiano-
 rum pietatem, ut uirginum integritas clau-
 stris ferreis & repagulis murorũ sit extor-
 quenda, cum ea demum religio sit accepta
 Christo, non quæ ui extunditur, sed quæ

B v ultro

DIVI EVSEBII

ultra à uolentibus offertur. Eius rei memi-
 nit in epistola, cuius initium, Nō debet cha-
 ritas diuidere, significās illā a Iuliano con-
 uersam, cui uehementer illam commēdat,
 ætati lubricæ omnia etiā tuta timens. Quin
 innuit eam non nihil etiam fuisse lapsam,
 primis annis adolescentiæ, scribens in hæc
 uerba, Hanc mihi IESVS pro eo uulnere,
 quod diabolus inflixerat, præstitit, uiuam
 reddendo pro mortua. Neq; uero satis cō-
 pertum est, quo tēpore Paulinianus, Hie-
 ronymi frater natus minor, huic proposito
 accesserit, quem testatur sibi charissimū fu-
 isse, & Syriam ad euntē fuisse comitem, etiā
 num adolescentem, & in Bethlehemitico
 monasterio pariter seruisse Christo. Mihi
 probabilius uidetur, id secundo in Syriam
 reditu factum, quod Hieronymus affirmet
 epistolam ad Heliodorum, cuius initium,
 Quāto amore, sibi adolescenti ac pene pue-
 ro scriptam fuisse, nisi forte iam admodum
 seni, grandior etiam ætas pueritia uidebat.
 Verum is Paulinianus iuuenis adhuc, hoc
 est uix triginta natus annos, p̄sbyterij me-
 ruerit honorem, quo noīe postea calumni-
 niam

HIERONYMI VITA

niã Hieronymo struxit Ioannes episcopus Hierosolymitanus, quod infra legitimam ætatem, ad hoc honoris esset euectus, uerũ illius calumnijs abunde respondit Hieronymus. Porro fratris mentionem facit & in epistola, cuius initium, Sanato uulneri. Compulsi sumus, inquit, fratrem Paulinianum ad patriam mittere, ut semirutas uillulas, quæ barbarorum effugerũt manus, ac parentum communium habet cineres, uederet. Rursus in epistola, cuius exordium, Diu te Romæ. Paulinianus, inquit, necdũ e patria reuersus est, puto quod eum Aquilegiæ apud sanctum Chromatium Papam uideris, Sed plura super hoc in epistola, cuius initium, Epistola tua hæreditatis. Cæterum quanquam in procliui non est, quo quicq; tempore acciderit ad liquidum persequi, tamen ex uarijs Hieronymi scriptis coniectare licet, illum ubi primum in Syriam demigrarat, nõ statim uno sedisse loco, sed aliunde alio uertisse sedem, quo tandem circumspectis omnibus, habitaculũ suis accommodum uotis deligeret, & primum aliquandiu uixisse Hierosolymis, nõ nihil

DIVI EVSEBII.

non nihil temporis Antiochiæ, sed hinc de
migrasse, partim offēsum celebritate loci,
partim quod Antiochena ecclesia à tribus
Episcopis, Miletio, Vitale, atq; Paulino di
straheret. Nec in Chalcidīs solitudine, nā
in hac sedere conatum, indicat in Abdiæ
commentarios præfatio, dabatur tranquilla
sedes, ob uicinia Campensium, qui cum
Tharsensibus Arrianis sentiebant. Horū
improbitate uir sanctissimus mire diuexa
batur, dum quotidie citatus, examinā de
fidei ratione, exigūtur treis hypostases nō
dum audita latinis uocabula, quod satis in
dicat in duabus ad Damasū epistolis, qua
rum alteri principium est, Quoniam uetu
sta, alteri, Importuna in euāgelio, obtestās
illum & obsecrās ut sibi præscribat, cui de
beat in Syria cōmunicare, cum uix usquā
conspiceret Romanæ fidei synceritatem.
Deniq; sic agitatus est his turbis, ut non se
mel poenituerit aditæ Syriæ. Tandem ue
lut in semotissimam eremum abdidit sese,
quæ Syriam, ut dictum est à Saracenis di
sternat, satius esse ducens, cum feris ac
prædonibus barbaris habere commertiū,
q̄ cum

HIERONYMI VITA.

quod cum eiusmodi Christianis. Hic annos quatuor ab hominum frequentia semotus, cum solo Christo, cumque libris habebat commercium, ac serio iam & totis, ut aiunt, nervis quod destinaret agebat, ut nobis egregium illud Christianae pietatis exemplar absolueret. Primum erat studium, adulescentiae lapsus, lachrymarum hymbre diluere, & laborum asperitate, veluti nitri acrimonia detergere. Inedia, uigilijs, & incredibili totius austeritate uitae rebellantem carnem, & subinde repullulantem aetatis lasciuiam cohercebat, corpus spiritui seruire docens, ne quid obstreperent affectus caelestem moliendi uitam, ipse sibi rigidus exactor supplicij, & instantissimus pensorum efflagitator atque ἐγὼ νοσίωνκτης, ut uocat alicubi, prorsus que iuxta Paulum, rationalem uictimam immolabat deo, cultum longe gratissimum. Tempus omne studijs & orationibus partiebatur, bonam noctium partem his operis addens, minima portio dabatur somno, minor cibo, nulla ocio. Studij lassitudinem recreabat oratio, aut hymnus, mox uelut integer ad intermissam lectionem redibat. Relegebat

DIVI EVSEBII

egebat uniuersam bibliothecam suam, uerū studiorum memoriā sibi renouās, sacras literas ad uerbum ediscebat. Meditabatur in prophetis, in eruendis oraculorū mysteriis uigilantissimus. Ex euangelicis & apostolicis literis, uelut ex purissimis fontibus, Christi philosophiam hauriebat. Primus enim ad pietatem gradus est, scire auctoris tui dogmata. Cæteros interpretēs adhibito delectu iudicioque legebat, nullū omnino scriptorem prætermittens, unde non aliquid decerperet, non ethnicos, non hæreticos. Nouerat enim uir prudentissimus ex sterquilinio legere aurum, nouerat e fruticibus melleum desumere succum, aranæ sua relinquens uenena, & iam tū ab Aegyptiis quicquid poterat conuasabat, hostiū opibus domini templum locupletaturus. Quoque certior esset memoria & paratior usus, quicquid legerat, id in locos digerebat, compositis singulis, ut affinitatis aut pugnatæ ratio postulabat. Felicibus ingenijs, dictum mirum, quāto opere fauerit, præsertim quæ facundiæ quoque dos commendabat, adeo ut hæreticos etiam laudibus ornaret,

HIERONYMI VITA.

naret, libenter, si licuisset, fidei uitium eru-
 ditioni condonaturus, cum primis autem
 Origenis quem suum appellat, & cuius ho-
 milias aliquot adolescens adhuc latinitate
 donauit. Lectioni miscebat scribendi stu-
 dium, ceu iam tum uelutans ac præludens
 tractādis litteris diuinis. Quam feliciter autē
 tem præluserit, indicat uel unus ille libel-
 lus, quo sodalem Heliodorum desyderat,
 in quo sic licet agnoscere tyronem, ut tamē
 appareat, qualis sit futurus īperator, hoc tē-
 pore, ni fallor, alligorice īterp̄tatus ē pphe-
 tā Abdiam, cū historiam nō dum intellige-
 ret, quemadmodum palam ipse testatur
 in præfatione posterioris interpretatiōis,
 qua iuuenilem illam præcipationem sar-
 cit ac pensat, idēq; magnorum uirorum ex-
 emplum secutus. Quo quidem in loco, cū
 alia multa præclare, tum illud festiuissime
 scripsit. Fateor miratus sum, quod quan-
 tumuis aliquis male scripserit, inuenit si-
 milē lectorē sui. Ille prædicabat, ego erube-
 scebā. Ille quasi mysticos ītellectus ferebat
 ad cœlum, ego demisso capite confiteri
 meum pudorem prohibebar. Quid mul-
 tis? Nihil omnino prætermissum est,

DIVI EVSEBII

quod ad inclytum ecclesiæ doctorem, ac uerè magnum theologum instituendum pertinebat, ne quid usq̄ deesset eruditioni, aut nec ubi uita parum emēdata, doctrinæ minueret & eleuaret auctoritatem. Proinde cum ipsa re compertum haberet, literas arcanas nec intelligi posse, nec tractari quemadmodum oportet, nisi cognitis his linguis quibus primū nobis proditæ sunt, sermonis Hebraici difficultatem improbo studio peruicit, & barbaræ p̄grinæq̄ linguæ, nō solum intelligentiam, sed & peculiarem sonum ac uernaculum stridorē est affecutus, usus ad eam rem doctissimis Hebræorum, quos ingenti mercede conducebat, marsupium exhauriēs, ut pectus eruditione locupletaret. Horum neminem nominatim designat, præter unum Barhani-
na, quem tamen post iam natu grādis adhibuit, qui illi Nicodemū quendam exhibebat, ut ipse scribit, quod nocturna hominis opera soleat uti, nō tam ob eā causam, quod puderet Christianum à Iudæo discere (Tantus enim erat ardor discendi, ut undecunq̄ discere, magnificū & gloriosum existimaret)

HIERONYMI VITA

existimaret) quod homo Iudæus inuidiam suæ gentis declinaret, si rem Christianam adiuuare uideretur. Id studium, quod plurimum haberet sudoris ac tedij, in præfatione quadam ipse pistrinum appellat. Nec his contentus, Chaldaicam item linguam Hebrææ finitimam aggressus est, quod Daniel & Iob, cunctis his alij nonnulli ueteris instrumenti libri, literis quidem Hebraicis, sed tamē Chaldæo sermone descripti sint. Cæterum hæc, quod intelligere eius usum non perinde late patere hæctenus modo secutus est, ut intelligere posset uerius quæ sonare. Quin & peculiarem Syrorum linguam attingit ob gentis cōmertia, non nihil & hanc Hebræo sermoni confinem, cuius testimonium aliquoties adducit in enarratione nominum, uelut in mammona. Inter hæc uero dum immodico quodam & iuuenili calore, & puerilium amore studiorum, plus satis indulget, exprimendis M. Tullij, Planiſque dialogis, nam id tum (ni fallor) agebat. & hos magis nititur effingere quæ sermonem apostolicum, somnio diuinitus immisso, raptus ad tribunal Dei, accusatus quod

C Cicero

DIVI EVSEBII

Ciceronianus esset, non Christianus, denique
 quod plagis emendatus, sibi redditus est, ut ipse
 refert in epistola, cuius initium, Audi filia.
 Qua de re quid sentiam, fortasse non nihil
 dicturi sumus cum ad eum locum erit uen-
 tum. In his sanctissimis laboribus, in hoc
 uitae rigore, cum annos aliquot duraret,
 tamen fatetur nullum uitae genus sibi fuisse
 iucundius. Paulatim enim (ut fit) quod ini-
 tium durum & asperum uidebatur, dulcesce-
 bat, & quod per se erat optimum, reddeba-
 tur assuetudine iucundissimum, et adeo non
 desiderabat Romanas delicias, ut sibi fre-
 quenter uideretur, non in eremo uersari,
 sed interesse choris angelorum. Nam stul-
 te quidam tristem quandam fingunt uitae
 solitudinem, quae ferarum potius est, quam ho-
 minum, & insanum reddat citius, quam pium
 uisebatur nonnunquam ab amiculis, uicinos
 monachos inuisebat aliquoties, & literarum
 uicissitudine fruebatur amicis absentibus. Por-
 ro quamquam hoc ocium ille perpetuum opta-
 bat, ut felicius ac tranquillius, tamen esse Chri-
 stianorum omnium erat, tam insignem athle-
 tam Christi aliquando produci in arenam,
 neque

HIERONYMI VITA

neque committi, ut tam eximium orbis lumen
 diutius sub modio cōderet. Itaque licet inui-
 tus ac renitens, diuino consilio rebus huma-
 nis prospiciēte, e Syria Romam retractus
 est, idque per Epiphaniū Salaminæ Cypri,
 & Paulinum Antiochenæ urbis episcopū,
 quos ob certas ecclesiæ necessitates, impe-
 rator Romam exciuerat. Hic iā indies au-
 gescente, tum eruditionis, tū sanctimonix
 fama, presbyterum ordinatū arbitror. Sūt
 qui tradant eum uiginti natum annos ad
 hoc honoris uocatum, ab Liberio tum Ro-
 manæ urbis episcopo, quod quando mihi
 parum compertum est, neque refellere, neque
 probare est consilium. Cæterum quod ad-
 dunt præsbiterum Cardinalem ordinatū,
 ut cum omnium pace dixerim, mihi sane
 commenticiū uidetur, cum illis tempori-
 bus, ne nomen quidem Cardinalis rear au-
 ditum fuisse. Tantum abest, ut is fuerit Car-
 dinalium splendor ac dignitas, quam ho-
 die cernimus. Ipse Hieronymus presbyte-
 ri cognomen multis locis agnoscit, cardin-
 alis nusquam. Cæterū in epistola, cuius
 initium est, In uetere materia, testatur sese
 C ij iuuenē

DIVI EVSEBII

iuuenem etiamnum, Damaso pōtifici Romano a libellis synodicis fuisse. Ante annos, inquit, plurimos, cum In chartis ecclesiasticis iuuaem Damasum Romanæ urbis episcopum, & orientis atq; occidentis synodicis cōsultationibus responderem. Proinde deplorat alibi, qd' eremo relicta, denuo mūdo seruisset. Interea nobiliū matronarum familiaritatem est nactus, in primis Marcellæ, quæ prima foëminarum aulsa est Romæ monachæ institutum profiteri, cum id uocabuli uehementer inuisum esset Romanis auribus. Conceperat autē mulier hūc ardorem potissimum ex Athanasio, ac cæteris Aegypti sacerdotibus, qui tum Arrianæ factionis persecutionem declinantes, Romam uelut ad tutissimum communionis suæ portum confugerant. His enim referentibus Antonij uitam, (cuius etiamnum uiuentis mira fuit nominis celebritas) ac monachorum in Thebaide uersantium, uirginum item ac uiduarum didicerat institutum. Eadem autem ad æmulationem propositi sui, complureis allexit, tum matronas, tum uirgines, cū primis

HIERONYMI VITA

mis aut Sophroniam, Principiam, Paulam
& Eustochium, ac breui tatus accreuit nu-
merus, mundi contemptum profitenti-
um foeminarum, ut quod prius ob nouita-
te inuidiosum erat, postea coeperit esse glo-
riosum. Has omneis Hieronymus ad diui-
nae scripturae studium inflammavit, infla-
matas sua doctrina prouexit, quo foedius
esset ab episcopis sacros libros negligi, q̄s
sexus infirmior amplecteretur. Marcellae
studium testatur in ipsius epitaphio, hisce
ferme uerbis. Et quia tunc alicuius nomis
esse existimabar, super studio scripturarū
nunq̄ me conuenit, quin de scripturis ali-
quid interrogaret. Ac paulo inferius, Hoc
solum dicam, quod quicquid in nobis lon-
go fuit studio congregatum, & meditatio-
ne diuturna, quasi in naturam uersum, hoc
illa libauit, didicit atq̄ possedit, ita ut post
profectiōem nostram, si in aliquo testimo-
nio scripturarum esset oborta cōtentio, ad
illam iudicem pergeretur. Hisce rebus sic
inclaruit apud uniuersos, Hieronymiani
gloria nominis, ut omnium suffragiis di-
gnus acclamaretur qui Damaso succede-
ret.

C in ret.

DIVI EVSEBII

ret. Verum ut umbra nusq̄ est, nisi cum ad-
 est lumen, ita celebritas sanctissimi uiri, nō
 caruit inuidia. Vrit enim splendore suo, q̄
 prægrauat artes infra se positas. Non dee-
 rant qui primum illum in Syriam secessū
 calumniarētur, & absentem, uirulentæ lin-
 guæ telis peterēt. Cæterum Romæ Dama-
 so pōtifici præter cæteros charus & in pre-
 tio habitus, adhæc Melaniæ & Paulæ pri-
 mariæ nobilitatis foeminis, triennium ar-
 ctissima familiaritate cōiunctus, maiores
 inuidiæ faces excitauit, & tot iam exantla-
 tis laboribus. Herculis ritu, comperit exce-
 tram supremo fine domandam, ut inquit
 Horatius, quæ primū tecte uirus suū affla-
 bat, donec simulata beneuolētia in magnū
 erumperet incendium. Irrepsert clancu-
 lum in urbem Arrianæ factionis quidam,
 sed mutato iam nomine Origenistæ, ut di-
 uersus esset titulus, error idem. ij quo suas
 parteis cōmunirent, in nobilium matrona-
 rum familiaritatem & amicitiam insinua-
 re sese, & dogmatis suis uenenum sparge-
 re, Hieronymum, quod is Origenis inge-
 nio præter cæteros delectatus, laudibus ex-
 tulisset

HIERONYMI VITA.

tulisset hominem, in suæ factionis cōforti-
 um pertrahere, hoc nocētiores inimici, qđ
 sub amicitia prætextu plusq̃ hostilia moli-
 rētur, adeo ut deferendæ Romæ cōsilium
 cœperit. Nam quod a nonnullis literis pro-
 ditum uideo de supposita ueste muliebri,
 quā cum imprudens pro sua induisset Hie-
 ronymus, atq̃ ad eum ornatus modum, in
 cœtum ecclesiasticum noctu prodisset, &
 risum & stupri suspicionem sibi conflaue-
 rit, mihi non fit uerisimile. Neq̃ em̃ usq̃ a-
 deo suis aduersarijs parcere solitus est Hie-
 ronymus, ut hac de re tam insignite contus-
 meliosa, nullā omnino facturum fuerit mē-
 tionem, præsertim cum id ad tuendam in-
 nocentiæ famā tā opere pertineret, ut dissi-
 mulare tacitum, hominis fuerit parum be-
 ne sibi conscij. In epistola, cui principium,
 Si tibi putem, multa querens de uarijs inui-
 diorum in se calumnijs, super hac re nullū
 uerbum facit. Verum inter alia multa hæc
 cōmemorat. Ego probrosus, ego uersipels-
 lis & lubricus, ego mendax & satanæ arte
 decipiēs. Quid enim est tutius, hæc uel cre-
 didisse uel finxisse de īfontibus, an etiā de

C iij noxijs

DIVI EVSEBII.

noxijs credere noluisse? Osculabantur mihi manus quidam, & ore uipereo detrahebant, & dolebant labijs, corde gaudebant. Ac mox, alius incessum meum calumniabatur, & risum, ille uultui detrahebat, hic in simplicitate aliud suspicabat. Ego ut de Roma relinquenda cogitaret, multas causas fuisse crediderim. Primum oculi pristini desiderium, & gustatae semel tranquillitatis memoriam, deinde molestam urbis celebritatem, molestiores delicias, luxum, ac fastum, harum rerum comitem. Iam tum enim paulatim crescentibus opibus ecclesiae, descrescebat Christiana simplicitas. Tum indies magis ac magis gliscentium Origenistarum aduersum se inuidiam, praesertim cum id temporis Rufinus ageret in urbe, nunquam ille quidem sincerus amicus, ut ego sentio, tum insidiator pestilentissimus. Neque mediocrem inuidiam conflauerat Hieronymo, liber ad Eustochium de uirginitate, quod in eo falsissime taxet, clericos & monachos ac uirgines suo indignas nomine. Demum eo uersaniae processit res, ut illi crimen impingerent, quod in Paulam Eustochii matrem desperiret,

HIERONYMI VITA

periret, ob intimam cum illa uitæ consue-
 tudinem, sed eam pietatis & sanctissimo-
 rum studiorum cōmertio conciliatam, nō
 turpi uoluptatis cōsortio. Qua de re sic ipse
 meminit in ea quam modo citauimus epis-
 stola. Pene certe trienniū cum eis uixi. Mul-
 ta me uirginum crebro turba circūdedit,
 diuinos libros ut potui, nōnullis sæpe dis-
 serui. Lectio assiduitatem, assiduitas fami-
 liaritatem, familiaritas fidutiam fecerat. Di-
 cant quid unquē aliter in me senserint, quē Chri-
 stianum decebat? Pecuniam cuiusquē acce-
 pi? Munera uel parua uel magna non spre-
 ui? in manu mea æs alicuius insonuit? Ob-
 liquus sermo, oculus petulans fuit? Nihil
 mihi aliud obijcitur nisi sexus meus. Exa-
 cerbabat odium huius rumoris monachoꝝ
 rum nomen, tum apud plurimos inuisum,
 quibus haud ferendum uidebatur tot pri-
 marias eius urbis foeminas, religionis præ-
 textu subduci familiæ subduci affinibus.
 Id propemodū indicauit Hieronymus cū
 addit, eodē quem modo retuli loco. Et hoc
 nunquē obijcitur, nisi cum Hierosolymam
 Paula & Melania proficiscuntur. Indicat ibi

C v dem

DIVI EVSEBII.

dem subornatum ab æmulis, aliquem ut opinor ex Paulæ seruis, qui Hieronymum insimularet stupri, & foedum rumorem, in uulgus ebuccinaret. At idem ad quæstionem uocatus, inter tormenta negauit, subiicit enim in hunc modum. Isti crediderunt mentienti, cur non credunt neganti? Idem est homo ipse qui fuerat, fatetur insontem, qui dudum noxium loquebatur. Et certe ueritatem magis exprimunt tormēta quā risus, nisi quod facilius creditur, quod aut fictum libenter auditur, aut non fictum, ut fingat impellitur. Antequam domum sanctæ Paulæ nossem, totius in me urbis studia consonabant, omnium pene iudicio dignus, summo sacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damasus meus sermo erat, dicebar sanctus, dicebar humilis & disertus. Nunquid domum alicuius lasciuioris ingressus sum? Nunquid me uestes sericæ, nitētes gemæ, picta facies, aut auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens atque ieiunans, squalens sordibus, fletu pene cæcata, quam continuis noctibus misericordiam domini

mini

HIERONYMI VITA

mini depræcantem sol sæpe depræhendit.
Cuius canticum psalmi, sermo, euangeliũ,
delitiæ, continentia, uita, ieiunium. Nulla
me potuit delectare nisi illa, quam mandu-
cantem nunquam uidi, sed posteaquam eã
pro suæ merito castitatis uenerari, colere,
susplicere, cœpi, omnes me illico deseruere
uirtutes. O inuidia primum mordax tui. O
satanæ calliditas semper sancta persequens.
Nullæ aliæ urbi Romæ fabulam præbue-
runt nisi Paula & Melania, quæ contẽptis
facultatibus, pignoribusq; desertis, crucẽ
domini, quasi quoddam pietatis leuauere
uexillum. Et in hęc sententiam illic plura,
quæ ne lōgior æquo sim, prætermitto. Hi-
sc̄e de causis, Hieronymum tandem urbis
odium cœpit indignæ tam eximij uiri con-
sortio. Itaque relicta Roma, Syriam repe-
tjnt, an una cum Melania & Paula, parum
mihi liquet, nisi quod conijcio matronas
priorses illuc se contulisse, & aut mox secu-
tum Hieronymum, aut diuerso itinere eos-
dem peruenisse. Reditum suũ quandoquid-
dem & hũc calumniatus est Ruffinus, ipse
describit in Apologia uerbis his. Vis nosse
pfectiõis

DIVI EVSEBII

profectiois meæ de urbe ordinem? narra-
 bo breuiter, Mense Augusto, flantibus Ete-
 sijs, cum sancto Vincentio, presbytero & a-
 dolescēte fratre, & alijs monachis qui nūc
 Romæ commorantur, nauim in Romano
 portu securus ascendi, maxima me sancto-
 rū frequentia prosequēte. Veni Regiū, in
 Scylleo litore paulū steti, ubi ueteres didi-
 ci fabulas, & præcipitē fallacis Vlyssis cur-
 sum, & Sirenarum cātica, & insatiabilem
 charybdīs uoraginem, Cuncq; mihi acco-
 læ illius loci multa narrarent, darentq; cō-
 silium, ut non ad Protei columnas, sed ad
 Ionæ portum nauigarem, hunc enim fugi-
 entium & turbatorum, illum securi homi-
 nis esse cursum, malui per Maleas & Cy-
 cladas Cyprū pergere. Vbi susceptus a ue-
 nerabili epō Epiphaniō, cuius tu testionio
 gl'aris, ueni Antiochiā, ubi fruitus sū coō-
 ne Pōtificis confessorisq; Paulini, & dedu-
 ctus ab eo media hyeme & frigore grauif-
 simo, intraui Hierosolymā, uidi multa mi-
 racula, & quæ prius ad me fama ptulerat,
 oculorum indicio comprobauī. Inde con-
 tendi in Aegyptum, lustraui monasteria
 Nitriæ,

HIERONYMI VITA.

Nitriæ, & inter sanctorum choros, aspides
 latere perspexit. Protinus concito gradu,
 Bethlehem meam reuersus sum, ubi adora-
 ui præsepe, & incunabula saluatoris. Vidi
 quoq; famosissimum lacum, nec me inerti
 tradidi ocio, sed multa didici quæ ante ne-
 sciebam. Hactenus ille. Verũ erit fortassis
 qui putet hæc ad primam illam Hierony-
 mi in Syriam profectiõẽ pertinere, mihi
 probabilius uidentur ad posteriõrẽ refer-
 ri, tum ob id quod Hieronymus pene pu-
 er, ut ipse scribit, adierit Syriam, nõ admo-
 dum consentaneum est, illum & ignotum
 & idætatis, tanto honore fuisse exceptum
 ab episcopis, eius regionis celeberrimis,
 tũ quod huius profectiõis & iustratæ Sy-
 riæ atq; Aegypti descriptio, mire cõgruat
 cum itinere Paulæ, quod in illius describit
 epitaphio, cui tum Hieronymum fuisse co-
 mitem, ex ipsa narratione licet depræhen-
 dere. Nec em̃ animi causa suscipiebat hunc
 peragrandi regiones laborem, sed partim,
 ut ex pluribus arriperet exempla pietatis,
 partim ut inspectis locis quorum in diui-
 nis literis fit mētio, penitius itelligeret qd
 esset

DIVI EVSEBII

esset scriptum, ut ipse testatur in præfatiōe quadam. Nec pietatis, nec sacrae scientiæ sibi magister esse uoluit, diuq; discēdum putauit, quod doceret, a multis discere curauit, sed à summis. At rursus sic horum doctrinam est amplexus, ut quorundam contentiosum dogma non sequeretur. Quandoquidē illo factiosissimo sæculo, uix quisq; eximie doctus, hæreseos suspitione carebat. Gregorium Nazianzenum præceptorem suum appellat, & hoc interpretante, se sacras didicisse literas testatur. Verum ubi nam audierit hominem, aut quanto tēpore, parum mihi compertum est. Nam is uitæ mutauit institutum, & sponte cedens episcopi locum, ruri abditus, monachi uitam exegit, auctore Hieronymo in Catalogo uirorum illustrium. Appollinariū Antiochenæ apud Syrios ecclesiæ episcopum, frequenter audiuit Antiochiæ, & domesticam cum illo cōsuetudinem egit, adhortante Paula, & sumptuum, ut conijcio, partem suppeditante, uerum id iam ætate prouectior. Postremo eiusdē impulsu, Alexādrīam sese contulit, iam semicanus, quo uidelicet

HIERONYMI VITA.

delicet ex Didymi consuetudine, quem quod
a puero captus esset oculis, uidentem appel-
lat, summam imponeret manum studio sacra-
rum literarum. Etiam si Ruffinus calumniatur Hie-
ronymum non plus mense, Didymi consue-
tudine usum fuisse, sed ridicule tamen, ut iam
uere. Nec enim refert quanto tempore uer-
seris apud preceptorem, sed quantum pro-
ficias. Ruffinus sex illis annis quos iactat,
& tot egregijs preceptoribus, quos Hie-
ronymus ne de facie quidem nosset, superior,
ipsa tamen eruditione multo est inferior. Demum
ascito Barhanina Iudaeo, quod in literis He-
braicis aut diminutum erat aut exciderat,
suppleuit & instaurauit. Iam itaque longo re-
rum usu comparata prudentia, multorumque
doctissimorum hominum congressu, iusta
eruditione collecta, ad tractandas diuinas
litteras accinxit sese. His instructus praesidijs
uir prudentissimus, Theologi munus ag-
gressus est, cum hodie quidam omnium bo-
narum literarum prorsus rudes & ἀνοῦστοι,
pauculis sophismatibus, & male degustata
Aristotelis philosophia freti, pedibus ac
manibus illotis irruant in theologiae profes-
sionem, Bethlehē

DIVI EVSEBII

Bethlehem iuxta domini sui praesepe, uen-
turae senectuti sedem delegit. Quem locum
iam religione celebrem orbi, scriptis & uir-
tutibus suis longe celeberrimum reddidit.
Is abest ab Hierosolymis sex passuum mili-
bus contra meridianam plagam, iuxta uiam
qua ducit Chebron, estque ciuitas Dauid in
tribu Iuda, iuxta hanc Paula quatuor condi-
dit monasteria, tria mulierum, quibus ipsa praesens
fuit, quartum uirorum, in quo diuus Hiero-
nymus, cum pijs ac doctis amiculis & stu-
diorum adiutoribus, non minus iucunda
quam sanctam uitam multis egit annis, ut ipse
testatur in epitaphio Paulae, qua uiginti an-
nis pie peractis Bethlehem, mortem immor-
talitate commutauit. Melania qua se eodem
contulerat, incertum quibus de causis, mu-
tata sententia, Romam repetijt. Ruffinus
calumniatur illi parum conuenisse cum Hie-
ronymo. Et consentaneum est opera Ruffi-
ni dissidium incidisse, ad quem mulier de-
sciscens, postea parteis aemulorum adiuuit,
& haud scio an haec sit in quam Hierony-
mus locis aliquot oblique stomachatur, no-
men nigredinis notans. Marcella tametsi
& ipsa

HIERONYMI VITÄ

& ipsa Bethlehemitico rure relicto. Romã se recepit metu barbarorũ, omnia passim uastantium ac populantium, tamen in amicitia fidelissime perstitit, Hieronymianas parteis acerrime defendens, Cuius opera, Origenistarũ factio sensim insinuans sese, Romæ primũ & pdita est, & oppressa. Hic omne uitæ tempus aut sacris dabatur psalms, aut uertendis sacris uoluminibus, aut edisserẽdis diuis literis, quas fratribus ac mulieribus assidue prælegebat. Ruffinus obiicit, illum & nobilium pueros sibi commissos in Poetarum ac Rhetorum literis instituisse. Et id crimen adeo non timet Hieronymus, ut nec refellere dignet̃. Etenim cum Paulus gloriatur se omnia factum omnibus, ut omneis Christo lucrifaceret, qd̃ flagitium, si diuus Hieronymus omnibus prodesse cupiens, om̃ibus nationibus, omni sexui, om̃i ætati semet accommodauit? Confluebat huc ex toto undiq; terrarũ orbe, frequens hominũ multitudo, quos omneis pro suis facultatibus, uir sanctissimus. Christiana accepit benignitate, neminẽ arcens a suo contubernio, præter palam hæ-

D re seos

DIVI EVSEBII

reseos inustos cauterio. Prorsus exoptāda
 uita, ni felix ocium, tot hæreticorum & ca
 lumniatorum insultus labefactassent. Qm̄
 aduersum multorum errores acerrime scri
 pserat, nullus erat hæresiarcha, qui nō Hie
 ronymum pro hoste duceret, quē quisq; si
 bi male conscius, etiam intactus (ut ait Ho
 ratius) horrebat & oderat, aliorum exēplo
 territus. Nullū fuit unq; sæculū seditiosus,
 neq; confusus, & sic om̄ia contaminarant
 hæreticorū errores, ut magne cuiusdam ar
 tis fuerit orthodoxum esse. Verū in primis
 Arrianorū factio, literis, armis, & impera
 torum præsijs, totum orientē, imò totū
 orbem in dissidium pertraxerat. Id mali ut
 cunq; sopitū, postea mutato cognomine,
 per Origenistas renatum est, ut ante dixi,
 & in ip̄am usq; Romanā urbē mire irrepse
 rat, non palam, sed cuniculis quibusdā sese
 furtim insinuans, cuius rei dux ac signifer
 Ruffinus Aquileiēsis, cū quo puero puer
 Hieronymus, arctissimā habuerat consue
 tudinē, & mirus quidā amor intercedebat,
 id quod facile liquet ex epistola, cuius initi
 um, In ea mihi eremi parte. Verum euenit
 iuxta

HIERONYMI VITA

iuxta prouerbiū Aristotelicū, ut qui se-
 se īpensissime dilexerāt, acerrimis itē odijs
 prosequerentur. Post primam similitatem,
 utcunq; reditum est in gratiam. Hierony-
 mo quidem modis omnibus adnitente, ne
 uel casus aliquis maleuolentiæ suspitionē
 præberet, & dissimulante interim clancu-
 larias illius machinas & uirulentas obtre-
 ctationes. Cæterum ubi iam fidei quoq; la-
 bem hæreseos aspergere niteretur Ruffi-
 nus, & Hieronymum in suæ infamiæ con-
 sortium inuoluere, reclamāte uiro sancto,
 & figuratas ut ipse uocat laudes, summa li-
 bertate reñciēte, rescissa est male facta gra-
 tia, & insyncera necessitudo, in apertā eru-
 pit similitatem, ac diruptis omnibus pu-
 doris ac modestiæ uinculis, uterq; in alterū
 sic debacchatus est, ut in Hieronymo pro-
 pemodum fateare uerum esse, quod Publi-
 us ille mimographus scripserat. Furor sit
 læsa sæpius patientia. Primum, ipsa scripta
 clamitant Hieronymo uehemens & ardēs
 fuisse ingenium, humanissimū quidē, sed
 liberum, hoc impatientius cōtumeliæ, qd
 nulli malum moliretur. Deinde hæreseos

D ij ea est

DIVI EVSEBII

ea est insimulatio, in qua tolerantem esse, impietas sit, non uirtus. Accedebāt ad hęc tot faces, quę uel lenissimum ingenium ualeant irritare. Sunt qui Ruffino non nihil tribuāt. Mihi nec eruditio satisfacit, & mores olfacere uideor uirulentos ac uafros minimeq; liberales. Certe cum Hieronymus illum talibus pinxerit coloribus, infantiam, imperitiam, ac stuporem hominis ubiq; ridens & insectans, aut talem Ruffinum fateamur oporteat, aut Hieronymum Sycophantam faciamus. Quo magis admiror quid Gennadio uenerit in mentem, qui non contentus Ruffinum immodicis uexisse laudibus, huiusmodi coronidem adiecit, nisi fallor, in Hieronymum. Sed & obrectatori opusculorum suorum, respōdit duobus uoluminibus, arguens & cōuincens se dei intuitu & ecclesię utilitate, auxiliante dño, ingenium agitauisse, illum uero æmulationis stimulo incitatum, ad obloquium stilum uertisse. Constat Ruffinum duobus libris inuectum in Hieronymum, nec dubium est quin de his senserit Gennadius, q̄ cū Ruffinum inter præcipuos ecclesię doctores ponat;

nat;

HIERONYMI VITA.

nat, Hieronymum obtrectatorem facit, & Ruffiniani nominis inuidentē gloriæ. Do-
lebat (opinor) homini Gallo. Vigilantius
ab Hieronymo parū suauiter acceptus, &
Palladius locis aliq̄ arreptus mordicus, q̄
rum uicem hac ratione uoluit ulcisci. Sed
ut ad id quod institueram recurrat oratio,
nihil non machinatus est in Hieronymum
Ruffinus. Subornarat permultos, qui uir
excellentissimum conuictis lacefferent. Vi-
gilantium Gallum, Palladium Galatam,
tum Magnum oratorem urbis Romæ. De-
niq̄ Domnionem & Pammachium, qui li-
bros Hieronymi suppresserūt, ne uenirent
in manus hominū, & admonuerūt literis,
ut quædam emendaret in editis uolumini-
bus, præsertim in quibus propensior uide-
retur in laudē uirginitatis, & huius studio
nuptiis iniquior q̄ uellēt plæricq̄. Quibus
ita respondet, ut ipsis parcens, acriter infe-
ctetur eos, à quibus sentiebat illos suborna-
tos & impulsos. Ac tantum ualuit æmulo-
rum malitiosa calliditas, ut nec ipse diuus
Augustinus Hipponensis episcopus, opti-
me sensisse uideat de fide Hieronymi, pri-

D in usq̄

DIVI EVSEBII.

usq̄ propius & interius nosset hoīs & uitā
 & eruditionem, quorum utrunq̄ suspicere
 atq̄ æmulari debebat Augustinus, nō uel
 licare, solo episcopatus honore sup̄ior, cæ-
 terum ut ætate, ita & cæteris dotibus omni-
 bus inferior. Hinc illa de mendacio cauilla-
 tio, hinc liber de animarū origine, hinc in-
 terpretationis ex Hebræo suggillatio, hinc
 similtatis cū Ruffino deploratio, quibus
 aduersus Hieronymum ceu uelitabat, euo-
 care cupiens ad dogmatis sui professionē.
 Id subodoratus uir minime stupidus, diu
 grauatus ad ea respondere, tandem respon-
 det acerbius, parūq̄ blande. Verum simul
 atq̄ uterq̄ alteri penitus cœpit esse cogni-
 tus, iunctis animis ac studijs, cōmuni ope-
 ra fidem cotholicā aduersus hæresiarcha-
 rum insultus tuebantur, & minus sibi pla-
 cuit Augustinus, ubi Hieronymi magni-
 tudinē pernouerat, ex exploratore factus
 discipulus. Ita ex initio qualicūq̄, summa
 inter illos conflata est necessitudo. Cæterū
 cum Ruffinianis plane, qđ aiūt, ἀπονοστος
 πόλεμος erat, quorum uesania eo progressa
 est, ut fictam epistolā uelut ab Hieronymo
 scriptam,

HIERONYMI VITA

scriptam, in uulgus spargerent, in qua deploraret uitæ superioris errores, ac damna-
ret operam olim insumptam, uertendis ex
Hebræo sacris uoluminibus, uelut huc in-
ductus à ludæis nonnullis impostoribus.
Sed actū esset de rebus hūanis, si malitiæ
par animo suppeteret nocendi facultas. Sti-
lum Hieronymianū histriones illi assequi
nō poterāt, illo sæculo nulli (sicut opinor)
imitabilē, nedum Ruffini sodalibus. Qd̄
si potuissēt, prorsus Hieronymiana fuisset
epistola. Iam quantum uirulentia sit in li-
bris illis Ruffini, quos in sanctissimum uir-
rum scripsit, quisquis legerit, facile perspi-
cit. His addiderat epistolā, præter indignis-
sima conuitia, diras minas, iudicia, exiliū,
mortem deniq; denunciante, ni taceret. Ea
quanq; intercidit, tñ ex apologia Hierony-
mi q̄ atrox fuerit, licet conijcere. Eodem e-
fonte profectū est dissidium illud acerbissi-
mum, quod illi fuit cum Ioanne episcopo
hierosolymitano, ad cuius diocesim attine-
bat Bethlehem, adeo ut ipse cum suis absti-
neret ab episcopi cōmunionē, qd̄ is in ma-
nifestam uenisset suspitionē Arrianæ fa-
D iij ctiōis,

DIVI EVSEBII

ctionis, homo Sycophanta, uaser, ac lubricus, & tyrannicæ cuiusdā insolentiæ. Ad hæc hulcera accedebant, qui frigidam quoq; (quemadmodū dici solet) suffunderent, & exasperatū tot iniurijs animū, literis insuper suis instigarent, hinc Riparius, illuc Marcella, aliū de Paula, Pāmachiū, Dominio, Oceanus, Augustinus, & præter hos alij complures, purga famā, cōpescere hæresim, succurre fidei. Sic uisum est Christo, ut inclyti militis uirtus tot exagitata procellis, clarius enitesceret, ac uelut aurum igni probatum, perpetuis exercitus malis, per infamiam & bonam famam grassaretur ad immortalitatis brauium. Aderat luçantī, qui periculis obijciebat, & idē uires dabat, qui daturus erat præmiū. Hinc ille uelut an nosa ualido cū robore quercus, undiq; propellentibus calūniatorum uentis, aut Maresia cautes, quæ fluctibus undiq; tundi, pectore inuictō infractōq; stabat, & adeo non dimouebatur ab honesto, ut quò magis oblatrabant æmulī, quò molestius obstrepebant inuidi, hoc acrius extimulareēt ad studium pietatis. Aduersus hæreticorū
uim

HIERONYMI VITA

uim & insidias non nihil adiutus est in Syria, ab Epiphanio, ac Theophilo Alexandrinæ urbis ep̄o. Romæ, Marcella, Pāmachio, Chromatioq̄, quos sibi uel ob Paulæ affinitatem habebat admodum fauentes, horum etiã benignitate subleuabañ. Quis in huiusmodi uita martyriũ requirat, quæ quid aliud fuit, q̄ diutinum ac perpetuum martyrium? Et reperias, qui mortẽ possint contẽnere, contumeliam non possint. Triginta totos annos in diuinarum literarum meditatione sudauit, ut ipse testatur alicubi, & ad extremam usq̄ senectam, docendi scribēdiq̄ laborem, iuuenili robore sustinuit. Paulam discipulam & patronã suã, præmisit in cœlum, cui q̄ diu fuerit superstes, nõ satis liquet. In illius epithaphio declarat sese iam tum in extrema senectute fuisse. Cũ euixit Bethlehem annos uiginti, & ab illius obitu per multa scripsit ad Eustochium, ut maternæ pietatis studiũq̄, ita & in Hieronymũ beneuolentiæ hæredem. Tandem uitæ cursu felicissime peracto, ad immortalitatis lauream est euocatus, anno ætatis suæ nonagesimo primo, anno uero
D v salutis

DIVI EVSEBII

salutis humanæ. CCCC. XXII. sub Hono-
rio & Constantio iã in imperij cõsortium
assumpto. Ferunt ossa postea Romã trãfla-
ta fuisse. Siquidem & hodie monumentũ il-
lius monstratur in Exquilijs apud ædẽ uir-
gini matri sacram, iuxta præsepe Christi.
Is qui uitã illius conscripsit, Cyrilli nomie,
non in facete commentus est, eũ iam morti
uicinum prædixisse fore, ut Romã aliquã-
do rediret. De miraculis nõ libet quicquã
attingere, iã uulgatissimis, si quis eiusmo-
di fabulis delectetur. Ad hoc, quod referũt
de digesto per Hieronymũ officio diuino,
deq; duobus uersiculis in calce singulorũ
psalmorum abiectis, an uerum sit nec ne,
non magni refert, unũ illud palã est, episto-
lã quæ testatur id factũ, à nebulone confi-
ctam alieno titulo. Tantum illi famæ & au-
ctoritatis pepererat uitæ integritas, sed p-
cipue libri, doctrinam inimitabilem præ-
seferentes, & doctrinæ parem eloquẽtiã,
ut erudita quoq; Græcia quæ cõsueuit om-
neis omnium gẽtium literas fastidire, uni-
us Hieronymi cõmẽtarios in suam linguã
transferendos curarit, nec puduerit totius
orbis

HIERONYMI VITA

orbis semper magistram, post tot eximios scriptores ab hoīe Dalmata discere, iāq; ad antrum Bethlehemiticū nō secus atque ad publicum totius Christiani orbis oraculū undiq; curreretur, siquid quē torqueret in diuinis literis. Crebræ epistolæ, crebri nunciū huc cōmeabāt, ex Italia, ex Hispanijs, e Gallijs, ex ultima Germania, ex Africa. Cōsulebatur ab episcopis, a nobilibus matronis, a primatibus. Quisquis Christianam uitam animo destinasset, prius ab hoc uitæ instituendæ rationem efflagitabat. Multos non tam loci religio, q̄ Hieronymi uidei sitis in Syriam attrahebat. Libebat nimis mirum sacri illius ac cœlestis animi, quem in libris cōspectum adorabant, thecā ac domicilium intueri. Visit hūc præter innumeros alios, Alipius, mittente Augustino, ut saltem per intimū amicum, Hieronymum complecteretur, quandoquidē ipsi licet cupienti, non erat integrū tantū itineris emestiri. Vidit Paulus Orosius historiographus, ab eodem (ut opinor) missus, ut indicat in calce suæ historiæ, nonnulla referēs, quæ ex illius colloquio didicisset. Vidit Sulpicus

DIVI EVSEBII.

picius Seuerus, q̄ magnificis præconijs effert hominē, sed tamen illius non assequit̄ merita. Visit Apodemius ex Gallia. Cūq̄ his complureis alijs, quorum in literis suis meminit. Equidem uideo quosdam magnopere contendere Hieronymū uirginitatis illibatae fuisse, quod affirmare, quorsum attineat, non uideo, cum ipse duobus in locis palā ac ingenue fateatur sese lapsū in adolescētia, & hac laudis parte caruisse. Primum in epistola, cuius initium. Quod ad te hucusq̄ nō scripsi, testatur in hūc modum, Virginitatem autē in coelū fero, non quia habeam, sed quia magis mirer quod non habeo. Ingenua & uerecūda cōfessio est, quo ipse careas in alijs prædicare. Nunquid q̄ graui corpore terræ onerosus hæreo, auium non miror uolatus? neq̄ colūbam prædico, quod radit iter liquidum, celeres neq̄ cōmouet alas? Hactenus quidem ille. Neq̄ uero me clam est, quosdam hunc sic interpretari locū, quasi Hieronymus sibi uirginitatis laudem adimens, modestiæ causa sese deiecerit. Quēadmodum Paulus, cum plus omnibus laborasset, se-
ipsum

HIERONYMI VITA.

ipsum tamen minimum apostolorum uocat, & indignum apostoli uocabulo. Atque hic color alibi fortasse locum habeat, ceterum hic stulticiæ fuerat id dicere, cum officeret ei quod agebatur. Cū enim ad inuidiam usque laudibus uexisset uirginitatem, occurrere studuit quorundam calūniæ, qui sic dictitabant. Quisque laudat, quod ipse est, conjugati gaudent laudari matrimonium, & si liceat, sacramentorum omnium primū cupiant efficere. Monachi suum efferunt institutum. Sacerdotes & episcopi, de muneris huius excellentia libenter audiunt. Qui uirginitatem sequitur, gaudet eam cum angelorum æquari puritate. Nec istud est fauere uirtuti, sed suis quæque laudibus applaudere, & honesto prætextu seipsum iactare. Proinde ne quid ea calūnia uirginitatem prædicantis fidem eleuaret, ingenue fatetur se non esse quod laudat, nec suum agere negotium, sed ueritati patrocinari. Rursus in epistola, cuius initium, Non debet charta. declarat idē hisce uerbis. Scitis ipsi lubricu adolescentiæ iter, in quo & ego lapsus sum, & uos non sine timore transistis. Quo si non possumus nisi uirginem amare, nec Apostolos, nec Pa-

DIVI EVSEBII

triarchas amabimus. Est autem istud quibus-
 dam studium, in specie quidem pium, sed ta-
 men ineptum, sanctorum laudes in immen-
 sum attollere, dum illis tribuunt, non quan-
 tum adfuit, sed quantum illis optent adfuisse.
 Hi Christum si queant, maiorem quam est cupi-
 ant reddere, deinde huic pene parem Ma-
 riam, & factiose suum quisque diuum attolit. Mi-
 noritis, nuncque satis laudatus Franciscus, a-
 lijs Benedictus, alijs Augustinus. At expe-
 dit etiam saepenumero, commissum aliquod
 ceu cicatricem in sanctis agnoscere. Fit enim
 nescio quo pacto, ut efficacius nos eorum
 exempla permoueant, quibus ex uitiosa ui-
 ta contigit ad pietatem resipiscere. Quanto
 plureis pellexit ad bonam frugem, pecca-
 trix illa Magdalene, Christi deliciae, quam Te-
 clae perpetua innocentia, quae ex tot hominum
 milibus uix ulli contingit? Magis profuit ui-
 tae mortaliu, David deplorans quod admi-
 serat, nosque post errata docens resipiscere,
 quam aliorum semper inculpata uita. Lapsus
 est Hieronymus, sed primis illis annis, &
 ut arbitror, ante quam baptismo renatus esset
 in Christo (Solent enim tum fere adulti ba-
 ptisimum

HIERONYMI VITA.

tissimum suscipere, nisi si quem uitæ periculū huc ad egressum) & lapsus est eo uitio, quo fere solet inuolui pueritia, priusquā uitium esse nouerit. At quot annis, quas pœnas, ob puerile erratum à sese exegit? Quibus supplicijs, eam pueritiæ uoluptatulam est ultus? Hieronymi præconium amplectantur, quibus uirginitas cordi est. Exemplū Hieronymi sequantur, qui baptismi uestē non nihil cōmaculatā, pœnitentiæ nitro cupiunt candidare, multoque magis isti, quam maximam uitæ partē, turpibus uoluptatibus dedicarunt. Ad hæc sunt quos non nihil offēdit sermonis acerbitas, quod in scriptis suis acrius nonnunquam uideatur incandescere, quæ pro Christiana māsuetudine, planèque ueteris comœdiæ quiddā referre, multos mordicus arripiens. In hac sententiā fuit olim Augustinus, & nostra memoria si superi placeat, Franciscus Philelphus, uir ille quidem eruditus, sed nonnunquam plus satis *εὐλαυτός*, At hi mihi parum expendere uidentur, negotij circumstantias, patriam, ingeniū sui fidutiā, æmulorum improbitatē cōtume liæ genus nulli ferendum. Postremo nec il
lud

DIVI EVSEBII

lud Terentianum. Tu si hic, aliter sentias. Nulli suam cōtumeliam ferunt impotentius, q̄ qui in aliena sunt lētissimi. Acriter inuectus est in Ruffinum, sed ille commeruerat acriora. Hic hæreseos crimē fortiter depellit, ille carnificem minitatur, & fictis flagitijs, famam incessit. Et nemo seuit grauius, q̄ cui non licuit esse mansueto. Atqui si quis attentius ac propius inspiciat eos libros, in quibus uelise quisq̄ (quod aiunt) inuehit in aduersarios, totaq̄ libertati uela laxat, mira depræhēdet humanissimi mitissimiq̄ ingenij uestigia. Ludit sæpenūero, & festiuis salibus agit magis q̄ uirulentis. Nonnulla dedit suo sæculo, & amicorū affectibus, & ita crimē a se depellit, ut si fieri possit, cupiat hosti parcere. Multa sciens ac prudens supprimit, pudori Christiano malens obsequi, q̄ animo lacescito, uelut in epistola aduersus Ioannem Hierosolymitanum, quātum tribuit suæ uerecūdiæ, quantum episcopi titulo, ut se reprimit. Et si quid incidit odiosius, sæpe nomina supprimit, nōnunq̄ fictis abutitur uocabulis, uelut in argumento de matre & filia reconciliadis,

HIERONYMI VITA

ciliandis, in diaconum impudicum, in Susannam lapsam, Quinetiam in Ruffinum & huius socios, Grunnij, Lusciij, Lauinij, Calphurnij, Lanariij, Scorprij, Canis Alpini, & id genus alijs aut fictis aut obscuris nominibus stomachat. Iam uero piget etiam meminisse, quod audiuius quotidie quosdam impie religiosos, & inscite doctos nobis ad aurem obgannire, id in Hieronymo caluniantes, quod in eo pulcherrimum est, nimirum doctrinam, ut ipsi uocant immodicam, & plusculum eloquentiae, quam theologum deceat. Neque quicquam omnino norunt de Hieronymo, nisi quod Cicero nianus dictus uapularit. Verum huius rei, quam ab eruditissimis abunde rursus est, Laurentio Valla, & Angelo Politiano, & nos olim adolescentuli, minores annis uiginti, lusimus in istorum stulticiam in dialogis, quos antibarbaros inscripsimus, unum illud hoc adiuciam loco, ubi deterret uirgunculam ab immodico studio librorum profanorum negat fuisse somnium, sed experrectum reperisse scapulas liuentes. At idem Ruffino respodens, satis ridet hominis curiositatem,

E cui

DIVI EVSEBII

cui non satis esset obseruare quid uigilās diceret aut ageret, uerū etiā quid dormiens somniaret, & adeo fatetur fuisse somnium, ut illud conferat cū prodigiosis illis noctiū ludibrijs, quibus aliquoties sibi uideretur alatus uolare cum Dædalo per Mariā, nō nunq̄ cōmatulus esse, cum esset caluaster, interdū sumpta toga, causam dicere prostris. Expediant igitur isti, qui simul utrūq̄ uerum esse possit, aut eligant utro in loco malint Hieronymo habere fidem, illic ubi de fide narrationis non agitur, sed quocunq̄ modo deterretur adolescentula, an hic ubi causa agitur & crimen depellitur, qua in re ueritas orationis etiā iureiurādo solet exigi. Quō cōmento Pythagoras rudes homines à carnium ingluuie deterruit, sic & parētes cōmenticijs terriculis, pueros à peccando submouent. Præterea uideant utrum credere malint senī, an adolescēti. Somnium non fuisse scripsit adolescens, somniū fuisse, scripsit senex. Aut hunc modum explicent. Dixit apud tribunal, Si unquā habuero libros sæculares, te negaui, cur post hæc non refellit Hieronymus, quod

HIERONYMI VITA

quod obiicit Ruffinus de Ciceronis dialo-
gis, quos maiore mercede fratribus scribē-
dos locarit, de poetis, quos praelegit pue-
ris? Et in hac accusationis parte, ita uersat,
ut ludat magis quā refellat, nimirum crimen
iudicans dignius, quod rideretur quā dilue-
retur. Vbi deinde negat aut dissimulat Hie-
ronymus sibi fuisse libros saeculares? Aut
si negasset, quod sanus illi fuerat crediturus,
nisi forte consentaneum uero putemus, cū
in libro de optimo genere interpretandi
plurimos uersus ad uerbū ex Cicerone re-
ferat, eum hos omnes ex adolescentiā me-
moriam descripsisse, nō de codice, Postremo
si crimen est habere libros saeculares, & si
Christū negauit quisquis hos legit, cur so-
lus uapulauit Hieronymus? Cur hodie in
theologorum scholis celebrior est Aristo-
teles, quā Paulus aut Petrus? Verū de repue-
rili ac ridicula iam pluribus quā sat est. Ego cer-
te (ut finiam) malim cum Hieronymo ua-
pulare, quā melle perungi cum istis, quos a-
deo scilicet terret Hieronymianū somniū,
ut ab omnibus bonis literis sanctissime tē-
perent, at non temperantes interim a uitijs

E ij eorum,

eorum, quorum libros religionis causa nō
 audent attingere. Sunt è diuerso quidā,
 qui cū arroganter sibi pluscū theologū uide-
 tur, tam impie theologum negant esse Hie-
 ronymum. Primum quod non satis theolo-
 gice σολοικίσει, quam primā theologiæ do-
 tem autumāt, deinde quod nusq̄ argute,
 quomodo Capreolus, Alexāder, Aegidi-
 us & Scotus, nec usq̄ adducat theologicas
 cōclusiones, rythmos, s. belle cōcinentes,
 quod non crepet maiores ac minores, qđ
 nusquā sophisticis argutīs, ac puerilibus
 captiunculis ineptiat, quod non in anxīs
 quæstiunculis torqueat sese, quod nō pas-
 sim infulciat philosophum. At æquū erat
 hac quidem in re ueniā dare Hieronymo.
 Nā qui suspicari potuit uir ille, fore ut no-
 uum hoc theologorum genus nasceretur
 apud Christianos. Cum nihil simile nec in
 diuinis & apostolicis libris cōperisset, nec
 apud eruditissimos horū interpretes, præ-
 sertim cum à Paulo didicisset huiusmodi
 quæstiunculas ad nihil utiles, nisi ad sub-
 uersionem pietatis esse deuitandas. Qui
 potuit diuinare futuros, qui totam theolo-
 giam, a

HIERONYMI VITA.

giã à capite (quod aiunt) usq; ad calcẽ re-
 texerent, & ex diuina facerẽt sophisticam,
 aut Thomisticã, aut Scotisticã, aut Occa-
 nisticã: At qui si hanc ob causam in theo-
 logorum senatum nõ recipiunt Hierony-
 mũ, ne Paulum quidem aut Petrum reci-
 pient, neq; quenq; omnino qui ante qua-
 dringentos annos uixerit. O miserũ illud
 sæculum, O calamitatem orbis Christia-
 ni, q; plus mille annos absq; theologis ste-
 terit, præsertim cum illis temporibus latiss-
 sime patuerit religio Christiana, nunc in
 arctum contracta, ut tot eruditorum hære-
 ticorum turmæ, librís essent reuincendæ,
 nõ fasciculis. Minore studio liceret bis ma-
 gistri nostri parare titulum, quã Hierony-
 mianam assequi dictionem, nullus infici-
 as ibit in bonis literis exercitatus. At ille
 tot linguis excelluit. Ut omittã tam mul-
 ta disciplinarum adminicula, sine quibus
 in diuinis uoluminibus necesse sit passim
 hallucinari, quis unq; sacras literas sic ex
 ipsis hausit fõtib;? Quis altius imbibit?
 Quis simili cura edidicit? Quis sic in prõ-
 ptu & in procinctu (quod aiunt) habuit?

E iij

Quis cita

DIVI EVSEBII.

uit aut densius, aut appositius? Quis edis-
 seruit doctius? Quis tractauit sanctius?
 aut felicius? Quis eruditissimos illos inter-
 pretes euoluit diligentius? Quis hæretico-
 rû dogmata refellit efficacius? Quis Chri-
 sti philosophiam penitus cognitã habu-
 it? Quis eã uiuidius, aut literis expressit,
 aut uita? Hæc quæso te, utrû theologi sunt
 an non? An ideo theologus non erit, quia
 nobiscum non balbutiat, ne dicam inepti-
 at? An ideo grammaticis annumerabitur,
 & Scotistis in sublimi cathedra tonantibus,
 Hieronymus ad horum pedes in imis se-
 debit subsellijs, qd' diuina maluit dicere,
 quàm hominû somnia, quod inter uernã
 tia scripturarum prata uersari maluit, quã
 inter horum spineta luctari, quod non fri-
 gidissimis distinctionibus omnia confu-
 derit, sed uelut aureum quoddam flumen
 ire maluerit, multas simul opes secum de-
 ferens? In singulis uerbis sæpenumero sin-
 guli sunt syllogismi. Num ideo parum est
 acutus, quia nos illius acumẽ non assequi-
 mur? Tractauit eas quæstiones, quæ tum
 in ecclesijs ac synodis uertebãtur, & ita tra-
 ctauit,

HIERONYMI VITA

ctauit, ut nemo copiosius, nemo neruosi-
us, nemo magis theologice, nihil addiui-
nans à theologorum sacris arcendos, qui
de formalitatibus, de instantibus, de quid-
ditatibus, de eccētatibus, deq; alijs id ge-
nus argutijs non disputaret. Opere prati-
um est audire censuram istorum, qui cun-
cta ad certum numerum redegerunt. Do-
ctores ecclesiæ quatuor esse libuit, & qua-
tuor item scripturæ diuinæ sensus, nimirè
ut respondeant quatuor euangelistis. Gre-
gorio tribuunt tropologiã, Ambrosio al-
legoriã, Augustino anagogen, Hierony-
mo (ne nihil habeat) relinquunt literam,
& sensum grammaticum. Sic enim has uo-
ces distinguunt, cum treis superiores indi-
screte sumat Hieronymus. Primum ex tot
eximijs doctoribus, quatuor esse dūtaxat,
uoluerūt, idq; candore quodã magis q̄ ex
anō, ne nullos ueterē recipere uiderētur,
q̄q; nec hos admodū legunt, nisi uelut a-
pocryphos iamq; antiquatos. Largiuntur
his aliqd, ueritates interim sibi seruātes.
Gestit animus paucis istos, q̄ sic de Hiero-
nymo sentiunt, cum Hieronymo cōferre.

E iij sed repri

DIVI EVSEBII

sed reprimam me, ne quod in nebulones
dixero, probi theologo in se dictum existis-
ment. Vnum illud tacere non possum, tot
editis uoluminibus quid ualuerit, declara-
uit Hieronymus. Si quisq; istorum, unicū
Hieronymi uolumen suo marte possit in-
telligere, si quadraginta istius factiois the-
ologi, communi opera, conflatisq; studijs,
possint unicum excudere libellum, qui sit
ullo modo cum Hieronymianis conferen-
dus, immo cum his quos dictauit Hiero-
nymus, non scripsit, fatebimur Hierony-
mum non esse theologum. Sed istorum
iudicium minus demiror, cum magis mi-
rum foret, si probarēt quod nec didicerūt,
nec intelligunt. Iustius in hos stomachor,
qui cum bonas profiteantur literas, parū
candide (ne dicam arrogāter) de tanto ui-
ro pronunciant. Franciscus Philelphus ar-
repta ueluti censoria uirgula, Augustino
tribuit dialecticæ palmā, eloquentiæ Hier-
ronymo. Non est meum Augstini laudis
bus quicquam decerpere, uerū illud ipsa
res clamitat, Hieronymū Augustino nō
minus antecelluisse dialectica, quā præcef-
sit eloquē

HIERONYMI VITA

sit eloquentia, nec minus eruditione superiorem fuisse, quam dicendi laude. Siquidem Hieronymus, græci sermonis callentissimus, non modo totum Aristotelem, sed cæteros itē philosophos omneis euoluērat. Augustinus, id quod & ipse fatetur, & indicant libri, duos duntaxat Aristotelis libellos, tum forte in latinum uersos sermonem, de prædicamentis, ac de enunciatione. Et ut ingenue dicam, argumentatur aliquanto perplexius ac molestius Augustinus, at quanto solidius, quanto alijs neruis Hieronymus? Quanquam ego nec de uitæ genere prorsus accedo Philelphi iudicio. In se quidem rigidior Hieronymus, quàm Augustinus, at in alios lenior, nec unquam Hieronymus à suis exigit fratribus, quod à suis clericis Augustinus. Iam uero dictu mirum, quanto opere celebretur inter eruditos, præsertim in Italia, festiuissimū illud, & merum atticismū spirans Theodorici Gaze dictum. Apud quem cum Bessarion Nicenus, præsentē Plethone Bizantio, primam eloquētiæ laudem tribueret Hieronymo, uel hoc argumento, quod ceu Ci-

E v ceronia

DIVI EVSEBII

ceronianus fuisset accusatus ἐλεγον εὐλογ ille
 respondit, Hieronymū præter meritum
 uapulasse, nimirum innuens illum non
 satis esse Ciceronianū. Verum an hoc in-
 ter familiares effutierit Gaza, nec ne, haud
 ita magni refert. Equidem ei uiro tantum
 in literis tribuo, quantum uix alteri cuiq̃,
 neq̃ candor illius, quo præditum accipio,
 finit, ut id ab eo dictum credā. Alioquin
 Gazæ quidem concesserim, ut homo græ-
 cus Hieronymianæ facundiæ cēsorem a-
 gat, qui Ciceroni quoq̃ tam fuit iniquus,
 idq̃ magis studio gentis suæ q̃ iudicio. Il-
 lud demiror, fabulam & impiam & stultā,
 usque adeo plausibilem uideri doctis, præ-
 fertim cum eam Petrus Crinitus, non ad-
 modū grauis auctor, referat, primū adeo
 frigide, ut statim illud audire mereat, nisi
 fingeres, non sic narrares Crinite, deinde
 tam uane, ut ueluti forex suo se prodat iu-
 dicio, declarans sese nec legisse, nec intelli-
 gere quod narrat, auditum opinor alicu-
 bi in conciliabulis, aut inter pocula. Neq̃
 uero huius est loci, quid in totū de Crini-
 ti literis iudicioq̃ sentiēdum sit explicare.
Certe li-

HIERONYMI VITA

Certe libri testantur hominem sibi nequa
quā displicentem, chartis & ocio abūdas-
se, sed quo rectius ac grauius uti potuerit.
Quod adhāc rem proprie facit, paucis at-
tingam. Dīctum (inquit) celebre est The-
odori Gazæ de diuo Hiero. eiusq; eruditi-
one, affectum fuisse iniuria Hieronymū à
Ruffino, quod eū pro Ciceroniano accu-
set. Atq; idem (quoniā bellū erat scilicet)
paulo post repetit & inculcat. Et simul in-
iuria hæc inqt o Bessarion, insignis in Hie-
ronymū facta est à Ruffino plagasq; illas
nullo suo merito tulit. Dispeream si Crini-
tus legerat hoc somnium, uel ab Hierony-
mo narratum, in epistola ad Eustochium,
uel obiectū à Ruffino, ac rursus ab illo di-
lutum & irrisum. Etenim cū ipse Hierony-
mus testet̃ se uapulasse, qd̃ Ciceronianus
esset, nō Chriānus, quæ nam atrox illa in-
iuria, quam Ruffinus fecerit Hieronymo?
Narratōis auctor ac testis est ip̃e Hierony-
m^o, plagarū auctor deus. Nec obijcit Ruffi-
nus plagas, sed piuriū, qd̃ execrat^o seipm,
si postea libros haberet p̃fanos, nō p̃stiterit
qd̃ apd̃ tribunal æterni iudicis deieraret.

Si falso

DIVI EVSEBII.

Si falso dictus est Ciceronianus, si præter meritum flagris cæsus est, deum iudicem in ius uocare par est, non Ruffinum. Bel- lam me hercle facetiam, quæq; atticum te- stetur ingenium, & cui certatim applau- dant eruditi. Ad hæc inter multa quæ cum iure possim exagitare, prudens dissimulo, ne molestus sim lectori. Scribit in hunc mo- dum. Quando & affectatæ nimis eloquen- tiæ, pro Ciceroniano & habitus sit & accu- satus. Quid ais Crinite? Itane Ciceronis est affectata eloquentia, cui Fabio iudice, peculiaris est illa felicissima facilitas? Iam haud me præterit, aliud sensisse Crinitum quam uerbis expresserit, uidelicet accusa- tum hoc nomine Hieronymum, quod plus satis affectaret eloquentiam. At ubinam hic illa Romani sermonis puritas? Quis Romanæ sciens, ad eum loquitur modum, habitus est affectati regni? Ac mox subij- cit, in quo Theodorus dicitur risum mo- uisse, ut qui foret in Romana etiã eloquen- tia censor acerrimus. Quid ego audio? Num censors acerrimi est mouere risum? At sensit illi motum fuisse risum. Atque id ipse pro-

HIERONYMI VITA.

ipse propemodum addiuinabam. Verum
 hoc sine Romanum est, huiusmodi floscu-
 lis ludere? Et tamen hic scriptor, sic alie-
 nus à Romana facundia, ut nec eleganti-
 am præstet. Audi quanta cum auctori-
 te, quantoque supercilio pronunciet de Hie-
 ronymo, ut M. Varronem quempiam lo-
 qui putes, non Petrum Crinitum. Neque
 prorsus negauerim (inquit) quædam esse
 in Hieronymo, quæ non usquequaque Ro-
 manam in dicendo puritatem, atque ele-
 gantiam probant. Quod quidem uitium,
 si id uitium est, non homini, sed tempori,
 & professioni tribuendum existimo. Nam
 inter Christianos homines, non eloquen-
 tiæ, sed uitæ accusantur uitia. Egregium
 uero Hieronymi patronum. Quænam ista
 Romana puritas? Num eodem more dis-
 cere quo dixit Cæsar, aut M. Tullius? At
 qui fieri potuit, ut Hieronymus de rebus
 longe diuersis loquens, iisdem tamen uer-
 bis uteretur? Alia religio, alius cultus, di-
 uersi auctores, nouata omnia, & tu me ne-
 gabis eloquentem, nisi pinde loquar, quasi
 Ciceronis ætate uiuam, cum præcipua di-
cendi

DIVI EVSEBII

cendi laus sit, apte dicere? Nisi forte parū Romanus uidebor, si pro eo qd' olim dicebant, faxit Iuppiter optimus maximus, dixero, faxit Christus Iesus. quod ad hūc modum non sit locutus, M. Varro, aut C. Cæsar, aut M. Tullius. Iam quid est hoc quod ait, imputādum Hieronymi sæculo? Num sæculum hoc putat illo facūdius? Aut quænam est ista professio, cui condonari uult infantiam? Nec enim adeo stultus est opinor, ut existimet Hieronymū fuisse monachum huius generis, quod hodie receptū est. An Christi professio pugnat cum eloquentia? Quid autē uetat, si Cicero de suis dæmonibus dixit eloquenter, quo minus Christianus item de pietate ueracq; religione dicat eloquenter? Sed dicam inuitus, quod tamen uerissimū esse comperi, esse permultos sic profanis addictos literis, ut ineruditum, ut infans, ut sordidum uideatur, ubicunq; Christianæ professionis uocabula uiderint. Romuli, Camilli, Fabricij, Iulij nominibus delectantur, ad Christi, ad Pauli, Bartholomæi uocabula nau-seant. Hos nihil aliud offendit in Hierony
mo,

HIERONYMI VITA.

mo, nisi quod ingenue Christianus est. Ac nos si quando uideri uolumus eloquētes, de rebus sacris, deum immortalē q̄ profane dicimus? Neq; uero probem in homine Christiano, anxiam eloquentiæ affectationē, quæ nec philosophis, nec Senecæ, nec ulli graui uiro unq; probata est. Atq; adeo ne fieri quidē potest, quin de religione uerba faciens, sacrorū uoluminum testimonijs utare, quorum phrasim innouare ridiculum sit, fastidire impiū. Ad hæc interdum eos cites oportet, q̄bus defuit elegantia sermonis, quales nobis Bonauentura, Thomas, Scotus, Hieronymo Iouianus, Vigilantius, Ruffinus. Aiunt Pomponium Latum, in omnem usq; uitam à Græcis abstinuisse literis, ne qua peregrinitas, Romani sermonis castimoniã uitias ret. At diuus Hieronymus in tot linguas cognoscendas partitus operam & oleum, tum in huiusmodi uersans argumentis, quæ non facile splendescunt, nec recipiunt orationis nitorem, denique permulta dictans, tamen eloquētiæ tantum præstitit, ut nemo fuerit nostra memoria, quem hac

DIVI EVSEBII

quem hac in parte cum eo conferre possimus. Et tamen eximios viros, nostra uidit ætas, & qui ne Ciceronis quidem sæculo inter elingues habitii fuissent, quorum præcipui sunt, Laurentius Valla, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, Ioanes Picus, & noster Rodolphus Agricola. Sunt & alij, quos haud quaquã cõtemno, sed ex his quoniam insignes sunt, res æstimabuntur. Hieronymus ex parte contempsit eloquentiam, tam multis distractus est studijs, quæ dicendi politiem rubigine solent obducere. Hi per omnem ætatem in his modo uersati sunt literis, quæ addicendi faciunt ornamenta, & tamen detur idem argumentum, sit eadem Christiane loquendi lex, uidebimus nec horũ quempiam Hieronymianum eloquẽtiam assequi. Primũ em̃ cũ præcipua pars eloquẽtię sit & fons, ut inq̃t Horatius, res de quibus dicturus sis, penitus habere cognitas, quis non statim intelligit, quã multis partibus hic potior sit Hieronymus? Ad hæc quis exorditur dexterius? Quis proponit absolutius? Quis narrat euidentius? Quis ex patiatur uel

HIERONYMI VITA

tur uel amœnius uel appositius? Quis col-
 ligit neruosius? Quis telum in aduersari-
 um torquet acrius, aut exceptũ retorquet
 mirabilius? Quis illigat tenacius? Quis in
 tractandis ἠδ' εὐσὶ iucũdior? Quis in πᾶσι θεοῖς
 concitandis grauior? Quis in schematis-
 mis florulentior, aut picturatioꝝ? Quis sen-
 tentias interferit aptius? Quis epiphone-
 matibus pũgit argutius? Quis hypotypo-
 ses effingit rectius? Quis aut attollit ma-
 gnificentius, aut deĩcit humilius? Quanta
 ordinis ratio? Quod cõsilium? Quæ tran-
 sitionũ delitiæ, quas sæpenumero per sen-
 tentiam contexit? Quam parata latini ser-
 monis copia? Quæ uocum emphasis, qui
 delectus? Quanta rerum supellex? Quæ
 auctorum agmina? Quam ubiq; densus &
 instans sibi? Quam felici mixtura cõtexit,
 cõcinnat, ac struit om̃ia? Præterea qui ner-
 uis, qui lacerti, qui uigor, qui actus oratio-
 nis, ac uita? Ut nusquã cessat, nusquã dor-
 mitat, nusquã iacet, nusquã resistit, ut ubi-
 que properans, auditorẽ secum rapit? Ut
 semper aliud ex alio pendet, & gemma gẽ-
 nam trahit? Quam modulata, quã nume-
 rosa totius

F

rosa totius

DIVI EVSEBII

rosa totius orationis compositio, quã mi-
 re commatis & colis rotatur ac uoluitur or-
 ratio? Quid dicã de festiuitate, qua res tri-
 stissimas etiã ille mirifice condit? Postre-
 mo quod pectus, quanta causæ fidutiã?
 Quis docet apertius? Quis delectat urba-
 nius? Quis mouet efficacius? Quis laudat
 cãdidius? Quis suadet grauius? Quis hor-
 tatur ardentius? Quis recenset sublimius?
 Quis instituit sanctius? Quis cum amicis
 fabulatur humanius? Nullum est enim ar-
 gumentĩ genus, in quo ille non luserit nus-
 quam sui dissimilis. Hæc non admodum
 mirentur, qui in hanc palæstram nunquã
 descenderint. Cæterum magnarũ uirium
 est, tractare sacra tam splendide, simplicia
 tã erudite, inculta tam polite, retrusa tam
 dilucide, à sensu cõmuni abhorrentia tam
 populariter, periculosa tam libere, seuera
 tam plausibiliter. Aliud est epistolam scri-
 bere ad Ciceronis exemplar, & decem se-
 lectis uoculis, Ciceronis simiũ agere, ali-
 ud in grauißimis argumentis, tot excude-
 re uolumina. Aliud est in ficta controuer-
 siola declamare, aliud in serijs fidei nego-
 tijs utriusq;

HIERONYMI VITA.

tñs utrisq; satisfacere, & his qui nihil requi-
 runt præter scripturæ diuinæ sciētiam, &
 his qui tantū ingenij vires expectant. Atq;
 hæc qui præstat, parū Ciceronianus est.
 Siquidē quid aliud est esse Ciceronianū,
 quā optime dicere, etiam si diuerse dicat.
 Quandoquidem ipsi Ciceroni secus dicē-
 dum foret, si Hieronymus esset. Alias di-
 cendi uirtutes mireris in alijs, in uno Hie-
 ronymo tot pariter dotes cumulatae sunt,
 ut in eo reperire liceat, quod & in Marco
 Tullio desideres. Loquitur Cicero, tonat
 ac fulminat Hieronymus, illius linguam
 miramur, huius etiam pectus. Quid quod
 nostro sæculo quanquā sat feliciter repul-
 sularūt bonæ literæ, tamē declamādi pror-
 sus extincta est exercitacio, ut hoc ipm qd
 sit eloquenter dicere, non queat nisi à pau-
 cissimis iudicari, cum ea res magis usu con-
 stet, quā præceptis. Vt iuxta Græcorū pro-
 uerbiū. Non una hyrūdo uer efficit, ita
 non una quæpiā dos facit eloquentē. Inter
 tot egregios auctores, quorū ingenio defē-
 sa est, & illustrata Chri religio, alijs desunt
 sæculares literæ, alijs sacræ scripturæ co-
 gnitio.

DIVI EVSEBII

gnitio. In hoc ingenium desyderat Hieronymus, in alio lucem orationis, in hoc nervos, in illo splendorem. Multis defuit linguarum peritia, nonnullis fidei sinceritas, quibusdam uite integritas. Hieronymus, & unus Hieronymus, sic omnia præstitit, ut si non ad unam aliquã uirtutem, sed ad omnium concentum & summã respicias, dicã audacter, sed uere, nihil habet uel ipsa Græcia, qd' nostro opponat Hieronymo, Proferat si possit, & meæ sententiæ non pigebit palinodiam canere. Et tamẽ hunc uirum, quem ne summi quidem queant assequi, non uerentur calumniari & mediocres. Notatur à Laurentio, quod in libris aduersus Iouinianum, sic Iouis statoris fecerit mentionem, uelut à stando dictus sit, & non potius à sistendo. Quasi uero illic hoc agat Hieronymus, unde dictus sit Iuppiter stator, ac non magis ridendi Iouiniani quæsiuerit ansam. Nisi forte cū scribit Martialis. Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci, Dicemus ficos Ceciliane tuos, uere sensit hanc esse uocum differentiam. Et tamen siue à sistendo deducitur stator,

tor,

HIERONYMI VITA.

tor, siue à stando, nihil est in quo reprehendas Hieronymum. Quid enim est aliud sistere, quàm facere ut stet aliquid? Quod em̄ græcis unica uox declarat ἰσχυραί, id latini duabus explicāt, sed inter se cognatis. Prò inde cum Iuppiter sit stator, hunc offendere uidetur qui gaudere sedeat. Atque hæc qualiscūq; uocum ac rerum affinitas, satis erat captanti risum. Verum non paulo insolentius taxat Hieronymū Philippus Beroaldus, qui Ruffinū reprehēderit, qđ cōparādi uerbo abusus sit, pro emere. Vnde miror (inqt) Hieronymū nimis ardēter, ne dicā inimicū carpisse Ruffinū. Imò tu nimis ardēter, ne dicā ineptiter Beroalde, uirū tanto te & meliorē & eruditiorē flagellas. Hodie quidem uulgus Italorum cōparare dicit emere, eumq; uerbi abusum, iam tum Hieronymi sæculo natum fuisse, declarat nō solum hic apud Ruffinum locus, uerum etiā quod Sophronius in catalogo scriptorum illustriū, comparauit ab Hieronymo positum, uerterit ὀνήσατο. Cæterum quæ Beroaldus citat ex Catone, ne tantulum quidem faciūt aduersus Hie-

F iij ronymum

DIVI EVSEBII

ronymum. Neque enim si prædium recte comparari dicitur quod emitur, continuo nihil interest inter emere & comparare. Comparandi enim uerbum latius patet, nimirum ad omnia quæ quocunque modo parantur, siue dono, siue opera, siue ære, siue bello, siue corpore, siue furto denique. At Ruffinus sic usus fuerat ea uoce, ut nihil aliud esse posset quam emere. Sed hoc fortasse condonari poterat ætatis calore, quod commentarios in Suetonium iuuenis opinor scripserit. At idem in his commentarijs, quos senex edidit in asinum Apulei, rursus cedit Hieronymum, quod pexam uestem posuerit, pro detrita, uilique, cum Horatius sit usus pro noua & eleganti. Ne nimium operæ ponam in huiusmodi nugis. Primum Hieronymus hoc loco non interpretatur quid senserit Horatius, ne alludens quidem apertius ad illius uerba. Neque statim Beroaldo concesserim pexam uestem esse nitidam & elegātem, quin uero propius est, genus fuisse uestis, quod uillos haberet, quod genus sunt lanæ non attonæ. At subucula iam
uillis

HIERONYMI VITA

uillis attritis paræ congruit cū tunica pexa. Neq; Hieronymus pexam tunicam, & nigram subuculam opposuit, nouæ & eleganti, sed lineis, sericis, ac candidis, quæ tum in delitijs erant, adeo ut ætate Plynij à barbaris importata, non satis digna uiris Romanis haberentur, & notati sunt imperatores aliquot, quod holo sericis uterentur. Id ita esse, ipsa Hieronymi uerba declarant. Tunc pexa tunica & nigra subucula, uestiebaris, sordidatus & pallidus, & callosam opere gestitans manum, nūc lineis & sericis uestibus, & Atrebatū ac Laodiceæ indumētis ornatus incedis. Proinde pexa uestis, siue noua sit, siue uetus, siue uilis, siue preciosa, certe lanæa est. At serica lineæque lanæa non sunt, & candore potissimū commendantur. Et quanquā nunc linearum uestium usus uilis sit ac plæbeius, tamen is olim nobilium erat, & honoris causa primum datus est sacerdotibus, ac proinde nulli monachorum cōcessus, nisi inter obeūda sacra. Iam illa quæ notauit Baptista Pius in psalmo primo p̄ Camotz, uer-

F iij

tendum fu

DIVI EVSEBII

tendum fuisse acum aut stipulã, nõ puluerem, & in Hieremia pro Lamconenos, nõ lamentatrices, sed præficas, prorsus indigna duco quæ refellantur, tantum abest ut existimem non posse defendi. Atq; ad hæc ipsa diluenda, uix eloqui possim, quã inuisus descēderim. Poteram illud è triuio responderi, ab aquila non cerni muscas, uerum paucis ostendere uolui, nec in his minutissimis cessasse, uirum undecunq; doctissimum. Illud hæctenus offecit Hieronymo, qd' ut à plerisq; non legitur, ita à paucissimis intelligitur. Alioqui uerum esse fatemur illud egregij pictoris elogium, *μωμήσεται τις δάσσον ἢ μιμήσεται.* At post hac quando per uniuersum orbem Christianum reuixerunt bonæ literæ, & non pauca bonæ spei ingenia ad ueterem illam ac germanam theologiam expergisci cœperunt. Hieronymũ ueluti renatum communibus studijs complectamur omnes, hunc singuli sibi ceu peculiarem uindicent. Olim Homery septẽ urbes sibi certatim asferebãt. At Hieronymũ uicinitalis iure rapiat, hinc Dalmatia, hinc Pannonia, hinc Italia.

HIERONYMI VITA


Stridon sibi gratuletur, quæ tam eximium
orbi lumen produxerit. Triplici nomine
sibi gratuletur Italia, primū quod erudie-
rit, deinde quod per baptismum genuerit
Christo, postremo quod sanctissimi corpu-
sculi pignus apud se seruet. Hunc ut suum
agnoscant Gallia, quas omneis sic peras-
grauit, quasque tot libris nominatim dedica-
tis instituit. Hunc sibi uindicent Hispani,
quos aliquot epistolis ad illos scriptis illu-
strauit. Hunc exosculetur Germania, quā
unico licet uolumine satis & docuit & no-
bilitauit. Hunc gemino nomine comple-
ctatur Græcia. Primū ob linguæ commer-
cium, deinde quod orbis magistra, huius
uirī literis uicissim adiuta sit. Complectas-
tur Aegyptus, quam toties inuisit, quæque
ex doctissimo nobis reddiderit doctior ē.
Amplectantur Arabes & Saraceni, quos
sua uicinitate reddidit claros. Hunc colant
Hebræi, quorum sermonem & literas tan-
tis sudoribus pararit. Hunc omnis quidem
rapiat Syria, in qua magnā uitæ suæ par-
tem exegit, sed præcipue Bethlehem bis fe-
licissima, & quod in hac Christus natus sit
mundo,

DIVI EVSEBII.


mundo, & quod in eadem Hieronymus
natus sit cœlo. Hunc omnis sexus, omnis
ætas discat, euoluat, imbibat. Nullum do-
ctrinæ genus est, quod hinc non queat ad-
iuuari, nullum vitæ institutum, quod hu-
ius præceptis non formetur. Soli hæretici
Hieronymū horreant & oderint, quos ille
solos semper acerrimos hostes habuit.

HIERONYMI VITAE PER
D. ERASMV M ROTE
RODAMVM FINIS.

MOGVNTIAE APVD IO-
ANNEM SCHOEFFER.
ANNO M. D. XXI.



14.



3



0000


B

0000



IB 99

X 2196 332



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

